Interlibrary Loan
DATE DUE

JUL 26 1982	F		
OCT 13 1998			
GAYLORD			PRINTED IN U.S.A.

DISSERTATIONES

PHILOLOGAE

VINDOBONENSES.

VOLUMEN QUINTUM.

VINDOBONAE
SUMPTIBUS ET TYPIS CAROLI GEROLD FILII
MDCCCLXXXXV.

HOC VOLUMINE CONTINENTUR:

DE TROPORUM
IN
L. ANNAEI SENECAE TRAGOEDIIS
GENERIBUS POTIORIBUS

SCRIPSIT

ALEXANDER GAHEIS.

L. Annaei Senecae tragoediarum quae sit condicio non est quod post tot hominum doctorum de ea re iudicia accuratius exponam. ex poetarum Graecorum fabulis depromptae vel ad earum imitationem conformatae ipsius artis tragicae virtutibus non splendent, sed utpote compositae ab homine ex rhetorum scholis profecto declamationes potius sunt quam tragoediae inani verborum pompa atque omnibus orationis luminibus non tam ornatae quam oneratae. numquam in rebus describendis atque adfectibus commovendis iustum modum tenet is qui has fabulas composuit, sed evagatur semper ingenio luxurianti abreptus et res atrocissimas proponit verbis tumidis cumulatas. quam ob rem dubium non esse videtur, quin eae numquam in scaenam prodierint, sed recitationibus, quae tum erant in deliciis, fuerint destinatae. recitationes enim ad tragoedias quoque pertinuisse ut per se patet ita diserte testantur Plinius Epist. VII 17 et Tacitus dial. c. 2 et 11, quibus locis tragoediarum a Materno recitatarum mentionem fecit.

Quae cum ita sint, profecto non superfluum esse videtur accuratius in orationem, qua Seneca in his fabulis usus est, inquirere et quo modo eam conformaverit, quibus exemplis in ea re usus sit, quos sive poetas sive scriptores imitando expresserit, uberius demonstrare. itaque mihi ipse hoc negotium iniunxi, ut de troporum usu in his tragoediis iterata lectione a me pertractatis agerem. tetigit quidem hanc rem R. Smith in libello, quem inscripsit: De arte rhetorica in L. Annaei Senecae tragoediis perspicua (prodiit ea dissertatio Lipsiae a. MDCCCLXXXV), sed tetigit tantum atque ita fere integram eis qui in hac quaestione expedienda operam consumere vellent reliquit. quamquam ne ipse quidem eam ad iustum finem perduxi, nam de troporum tantum generibus potioribus, metaphoram dico et metonymiam et synecdocham, hoc loco egi, cetera autem temporum coartatus angustiis nunc omisi peculiari postea libello de eis acturus.

In troporum autem, quos modo commemoravi, notionibus constituendis scito me Gerberi Volkmanni Wackernagelii libros diligenter examinavisse omnesque virorum doctorum libros, quibus poetarum et

qui ante Senecam floruerunt et qui post eum vixerunt dicendi genus illustratur, in meum usum convertisse. quos hoc loco enumerare longum est.

Citati autem sunt singuli Senecae tragoediarum loci ad exemplum editionis, quam F. Leo in lucem emisit Berolini a. MDCCCLXXVIIII. Octaviam, quippe quam a Seneca compositam non esse constet, omisi, locos ex Herculis Oetaei parte posteriore, quam omnes homines docti a Seneca abiudicant, petitos uncinis adiectis significavi. restat ut quibus siglis in singulis fabulis indicandis usus sim exponam: HF.: Hercules furens, Tr.: Troades, Phoen.: Phoenissae, Med.: Medea, Phaed.: Phaedra, Oed.: Oedipus, Ag.: Agamemnon, Thy.: Thyestes, HO.: Hercules Oetaeus.

Tropi, quos pertracturus sum, eo inter se differunt, quod metaphora sive translatio in analogia vel comparatione posita est, metonymia nomina interna quadam ratione inter se coniuncta immutantur, synecdocha denique externa tamquam verborum vi nititur, ita ut plus minusve pronuntietur quam cogitetur.

A. De metaphora.

Metaphorae sive translationis, quam ut gravissimum ac longe pulcherrimum tropum primo loco posui, rationes sic definit Quintilianus Inst. or. VIII 6, 5 sqq. 'transfertur nomen aut verbum ex eo loco, in quo proprium est, in eum, in quo aut proprium deest aut translatum proprio melius est . . . in totum autem metaphora brevior est similitudo, eoque distat, quod illa comparatur rei, quam volumus exprimere, haec pro ipsa re dicitur.' in distinguendis singulis metaphorae generibus plurimum refert, unde comparatio petita sit, utrum ab animalibus an a rebus inanimis et ad quas res verbum comparatione inventum transferatur. praeclare sane Quintilianus s. 9 sq. 'huius (translationis) vis omnis quadruplex maxime videtur, cum in rebus animalibus aliud pro alio ponitur . . . inanima pro aliis generis eiusdem sumuntur . . . aut pro rebus animalibus inanima . . . aut contra.' idemque s. 11 recte adnotat fortissimum genus id esse, quod rebus sensu carentibus animum et actus tribuat, ut tamquam animentur. genera metaphorae a Quintiliano statuta cum quibusdam viris doctis velut Braumuellero[1]) Frankio[2]) aliis servavi, in singulis speciebus constituendis ab eis aliquantulum discessi. his igitur praemissis ad translationes, quae in Senecae tragoediis leguntur, illustrandas me convertam.

---

[1]) De tropis et figuris in Vergilii Aeneide, lib. schol. gymn. Guilelm. Berol. 1877.
[2]) De Tib. Silii Italici Punicorum tropis, diss. inaug. Monasterii 1889.

I. Translationes substantivorum.

Primo loco substantiva ponam, quae animalia vel ad ea pertinentia significant, pro aliis eiusdem generis usurpata.

Primum igitur quae nisi de hominibus dici non possunt ad cetera animalia transferuntur, veluti Ag. 454 sq. *nunc prima tangens rostra lascivit chorus, millesimam nunc ambit et lustrat ratem* vox chori ad pisces transfertur, qui in mari lascivo ludo orbes flectentes saltantium speciem praebent. cuius translationis exemplum apud poetas Latinos aliud non inveni. nam ii hanc vocem, si non de hominibus usurpant, ad stellas tantummodo transferunt, quae a veteribus in caelo choreas ducentes cogitatione fingebantur, cf. Hor. C. IIII 14, 21, Tibull. II 1, 88, Prop. III 5, 36, Stat. Ach. I 643, Silv. III 3, 54. quam apte Seneca hac imagine uti potuerit, ex Ovid. Met. III 685 sq. adparet, ubi delphinum motus cum saltatione comparantur: *inque chori ludunt speciem lascivaque iactant corpora.* nescio an Livi Andronici quoque locum ante oculos habuerit Aegisth. fr. 2 R. *tum autem lascivum Nerei simum pecus ludens ad cantum classem lustratur.* ut hoc loco chorus ad animalia, ita contraria ratione grex, qui proprie est coetus animalium, ad homines transfertur, cuius usus frequentissimi apud Senecam haec exempla invenimus: HF. 478 *virginum oppressi greges,* de liberorum coetu 507, 1037, 1149, Tr. 32; Tr. 138 *regum gregem,* Phoen. 575 *captivo gregi,* Ag. 640 *aequaevi gregis,* 701, [HO. 1850 et sq.]; cf. HF. 10 *gregem* (Atlantidum). Phaed. 434 legimus iugum, quod per metonymiam ad equos ipsos transfertur, de duobus Phaedrae liberis dictum, quae translatio quoque invenitur Val. Max. V 5, 3 *fraternum iugum Claudiae gentis.* huc etiam referendum est substantivum ferae de Thyeste eiusque filiis dictum (Thy. 491) in imagine a bestiis, quae laqueis captantur, petita, de quo loco postea disputabimus.

Deinde notiones, quae ad animantium vitam pertinent, translata significatione de hominibus ponuntur inprimis ita, ut ea quae corpora spectant de animi facultatibus dicantur. ita Seneca animi cupiditatem verbis sitis et famis illustrat HO. 621 sqq. *cupit hic gazis implere famem, nec tamen omnis plaga gemmiferi sufficit Histri nec tota sitim Lydia vincit* et Phaedr. 542 *imperii sitis,* quae translatio cum apud Graecos (cf. Pind. Pyth. VIIII 104 *δίψα ἀοιδᾶν*) tum apud Latinos poetas et scriptores invenitur, veluti Hor. Ep. I 18, 23 *argenti sitis importuna famesque,* Verg. Aen. III 57 *auri sacra fames,* Ovid. Rem. am. 533, Cic. Parad. 6. nec minus usitatum est vulnus, quod legitur Sen. Ag. 188 *novum* (amoris) *vulnus gerens*; cf. Lucr. I 34, Verg. Aen. IIII 2 et 67, Eur. Hipp. 392 *ἐπεί μ' ἔρως ἔτρωσεν.*

Phoen. 94 sq. Oedipus suam vitam tamquam tenebris obrutam funus et exequias adpellat: *funus extendis meum longasque vivi ducis*

exequias patris. mortem enim ipsam viliorem poenam esse ratus, quam ut sceleribus a se commissis satis facere possit, se obcaecare constituit, ut per totum reliquum vitae tempus tamquam mortem sentiat longam; cf. Oed. 948 sq. *quod saepe fieri non potest, fiat diu; mors eligatur longa* et Phoen. 169. hanc rem invenit Seneca, Statius imitatus est Theb. I 48 (*Oedipodes*) *longa animam sub morte tenebat* et IIII 614 sq. *iacet ille in funere longo, quem fremis, et iunctae sentit confinia mortis* . . . (617) *sors leto durior omni.* idem recepit tropum illum ex hac cogitatione ortum primoque a Seneca adhibitum 'funus' de vita caeci Oedipodis; cf. Theb. I 74 sqq.

orbum visu regnisque carentem
non regere aut dictis maerentem flectere adorti,
quos genui quocumque toro; quin ecce superbi
pro dolor et nostro iamdudum funere reges
insultant tenebris.

ex cogitatione illa Oedipodis vitam longam esse mortem altera insuper translatio fluxit. Phoen. 235 enim hic suam animam m a n e s nominat, qua re se quasi mortuum esse significat.

Frequentiora sunt nomina, quae ad animalia pertinent, ad res inanimas translata. hoc igitur modo primum adhibentur nomina, quae homines ipsos significant. sic cum voce t u r b a e scriptores Latini utantur, sive de hominibus sive de animalibus agitur, Seneca eam ad res, quibus anima non inest, transtulit Med. 679 *turbam malorum*; cf. Lucan. VIIII 405. Tr. 542 truncus, qui virgam genuit, m a t e r nominatur, quae est sollemnis locutio apud scriptores rei rusticae; cf. Verg. Georg. II 19 *Parnasia laurus parva sub ingenti matris se subicit umbra* et 23 *plantas tenero abscindens de corpore matrum*, Colum. III 17, 1, Plin. N. H. XII 23. quodsi urbem Troiam Seneca Ag. 871 p a r e n t e m Casandrae nominat, nihil profert novum; saepissime enim terra vel urbs, in qua quis natus est, eius parens vel mater vocatur; cf. Liv. V 54, 2, Sil. It. V 543 al. HF. 1073 Seneca somnum noctis c o m i t e m adpellat et eodem modo Phaed. 206 libidinem fortunae comitem, Thy. 923 egestatem exilii. HO. 613 legimus *comes invidia est*; cf. verbum comitatus eodem modo adhibitum Oed. 653. m i n i s t e r de rebus inanimis dictum bis invenitur apud Senecam HF. 99 *hoc* (furore) *ministro noster utatur dolor* et Phaed. 430 *malus est minister regii imperii pudor.* utrumque substantivum et poetae et scriptores saepe translatum exhibent. ad Phaed. 529 *arbiter lapis*, qui agrorum fines indicat, conferri potest Plinii locus N. H. V 97, ubi Taurus mons *innumerarum gentium arbiter* nominatur, quia multarum gentium quae eum accolunt quasi fines discernit.

Corporis quoque membra rebus inanimis tribuuntur. ac priore loco ea exempla enumerabo, ubi res sensui non subiectae corporis membris

exornantur. in eiusmodi exemplis metaphora in personarum fictione posita est; tota enim res cum homine comparatur atque corporis membris praedita cogitatur. contra in rebus quae re vera sunt pro singulis tantum earum partibus membra ponuntur. interest igitur aliquid inter imagines 'nox atrum caput profert' et 'movere silvae capita'. illo loco nocti, tamquam homo sit, caput tribuitur et tota locutio idem valet ac 'nox iam appetit', hoc loco cacumina tantum arborum cum capitibus humanis comparantur. sed iam Senecae locos qui huc pertinent proponamus: HF. 942 *nox atrum caput profert* (cf. Ovid. Met. XV 31 *et caput extulerat densissima sidereum Nox*), Ag. 484 *rabidus ora Corus Oceano exerens* (cf. Stat. Theb. IIII 585 *vultum niger exerit aer*), Oed. 7 *o fallax bonum* (regnum dicit), *quantum malorum fronte blanda tegis*, Phaed. 493 *illum niger edaxque livor dente degeneri petit* (cf. Hor. C. IIII 3, 16, Ovid. ex Pont. III 4, 74, Cic. pro Balb. 26), HF. 555 *Mors avidis pallida dentibus* (cf. Lucr. I 852, Ovid. Met. XV 235), Phaed. 467 *rapaces Fati manus* (cf. Oed. 77 *letali manu contacta regna*, Tibull. I 3, 4), Phaed. 1190 *(mors) pande placatos sinus*, 763 *(forma) velox celeri pede laberis.* minus fortis tropus est Ag. 819 sq., ubi legimus *rettulit pedem nomen alternis stella quae mutat*; nam pedem referre communis est elocutio et idem valet ac se recipere; cf. pedem revocare, retrahere: Verg. Aen. VIIII 125, X 307. his locis addo Tr. 385 *aetas Pegaseo corripiet gradu*, Ag. 698 *Fortuna vires ipsa consumpsit suas*, Oed. 164 sq. *Mors . . . oris hiatus pandit . . . explicat alas.*

Sequantur ea exempla, ubi rerum partes cum humani corporis artubus comparantur. sollemnem sermonis Latini usum secutus est Seneca, cum cacumina arborum capita vocavit Tr. 173, Oed. 532, quibuscum locis conferri potest Verg. Aen. VIIII 682. caput de monte summo usurpatum legimus HO. 493, de turri summa Ag. 92. illa quoque haruspicum sermonis locutio, qua caput de toro quodam iecoris dicitur, apud Senecam invenitur Oed. 360. deinde arborum frondes voce comae significantur HF. 689 *opaca fronde nigrantes comae*, Oed. 154 *silva sua decorata coma*, 228 (*Phoebea laurus*) *movit comam*, 574, HO. 383, [1577 et sq.],[1]) eodem modo herbarum folia Med. 722 *illa* (herba) *Pangaei iugis teneram cruenta falce deposuit comam.*[2]) comam ignis dixit Seneca Oed. 311 (ignis) *summam in auras fusus explicuit comam.* ex poetis aureae aetatis solus Catullus 61, 78 (99) simili imagine usus est: *faces splendidas quatiunt comas*, sed in mentem velim revoces cometarum radios cum comis vel crinibus comparari (cf. Ovid. Met. XV 749 et 849, Verg. Aen. V 528). ac

[1]) Plurima apud ceteros poetas eius imaginis extant exempla, veluti Verg. Aen. II 629, VII 59, XII 209, Georg. II 368, Hor. C. I 21, 5, IIII 7, 2, Ovid. Met. X 103, 648, XI 47 al.

[2]) Cf. Verg. Georg. IIII 137, Ovid. Fast. III 854.

nescio an Homerus Phoebum utpote solem flavis comis praeditum (ξανθόν) finxerit, quamquam ea re quoque eximiam dei pulchritudinem indicare potuit. certe HO. 727 radii solis eleganter coma Phoebi adpellantur loco depravato quidem, sed ita puto restituendo: *abiectus horret sanguis et Phoebi coma tepefactus arsit*; conferre licet Stat. Theb. III 408 sq. verticem de summa parte cuiuslibet rei saepissime dici notum est. ita haec vox apud Senecam saepius de monte usurpatur, velut HF. 80, 1208, Phoen. 22, Med. 384, Oed. 435, Ag. 394, 569, Thy. 445, de caelo Oed. 476. porro poetae fluminis vel maris concreti aquas saepius cum tergo comparant, veluti Verg. Georg. III 361 *undaque iam tergo ferratos sustinet orbis* et Ovid. ex Pont. I 2, 82 *dura meant celeri terga per amnis equo.* eadem comparatione usus Seneca dicit HF. 535 sq. *calcavitque freti terga rigentia et mutis tacitum litoribus mare.* atque ut glacies flumini superposita, ita etiam terra, quae orcum contegit, tergum nominatur Ag. 756 *reserate paulum terga nigrantis poli.* eodem modo de speluncae tegumine Verg. Aen. VIII 234 'dorsum' dixerat. qua in re notandum est hoc tropo tum libentissime uti poetas, cum notio cavi intellegi potest. faciem et vultum et apud poetas et apud scriptores prosaicos pro forma atque habitu cuiusvis rei poni non est quod exemplis comprobem. ex Senecae tragoediis haec habes deprompta: Phaed. 748 *nec tenent stellae faciem minores,* Oed. 314 *facies flammae* (cf. Sil. It. VII 367 *facies flammarum*), HF. 698 *prata viridi laeta facie germinant* (cf. Varr. de r. r. I 9, 3), Ag. 607 *vultus Acherontis,* coll. Oed. 49 *inferna facies,* de substantivis abstractis Oed. 180 *dira novi facies leti,* quae locutio etiam apud Sil. It. IIII 593 legitur, Ag. 737 *facies* idem quod imago. uber, quod proprie est mamma, saepius pro fecunditate ponitur, veluti Oed. 156 *rura virent ubere glebae,* qui locus proxime accedit ad Verg. Aen. I 531 *terra antiqua, potens armis atque ubere glebae.* cum corpore lacerato confert Seneca domum discordia fratrum Atrei et Thyestis dissidentem Thy. 432 sq. *lacerae domus componit artus.* quod fontes in terra abditos venas vocat Thy. 116, a ceterorum scriptorum usu non recedit. denique addo *vulnus* ad res inanimatas translatum Ag. 580, quam imaginem vel apud Ciceronem non raro invenire licet.

Accedamus iam ad animi significationes ad res inanimas translatas. ita libido gladio tribuitur Tr. 285 (gladius), *cuius infecti semel vaecors libido est,* qui animi adfectus a pugnantibus ipsis petitus ad gladium translatus nihil quod mirum sit praebet, quamquam hoc uno loco legitur. similiter HF. 405 habes *stricti ensis ira* et Phoen. 163 *iras* (dextrae); cf. Val. Flacc. VII 149 *ira flagelli.* usitatior sane haec vox est de bello morbo vento mari usurpata. minarum etiam imago usurpatur de naturae viribus, praecipue de aqua et vento Oed. 604 *minae Strymonis,* Thy. 291 *gurgitis,* HO. 49 *Oceani,* 506 *fluminis,* Tr. 200 *ventus abiecit minas,* Phaed.

936 et 1130 *Boreae minas*, [HO. 778 *Aquilonis*, 1740 *flammae*], cf. Verg. Aen. VI 113 *omnis pelagique minas caelique ferebat.* ad bellum et arma haec vox transfertur Phoen. 290 *belli minas*, Thy. 573 *minae ferri*, HF. 902 *ciet aegis minas*, cf. Verg. Aen. VIII 40 *neu belli terrere minis.*

Quarto loco substantiva, quae ad varias hominum condiciones pertinent, ad res inanimas translata enumeremus. itaque *morum senium* dixit Seneca Phaed. 917 pro morum severitate. ex poetis aureae latinitatis Horatius solus hanc vocem eadem vi posuit Ep. I 18, 47 *surge et inhumanae senium depone Camenae*, coll. Epod. 13, 5; scriptores interdum ea utuntur ad tristitiam vel taedium significandum. h o s p i t i u m de Cithaerone monte legitur Sen. Phoen. 31. libenter enim poetae locis hospitium tribuunt, cf. Hor. Sat. I 5, 2. sollemnem imaginem, qua poetae terram ab hominibus servire coactam fingunt (cf. Verg. Georg. I 128, Ovid. Met. I 101 sq.) Seneca secutus est Phaed. 536 *ferebat terra servitium.* leges a natura statutae saepius *foedera* nominantur a poetis, velut Verg. Georg. I 60 *has leges aeternaque foedera certis imposuit natura locis* et Ovid. Met. X 353 *naturae foedus.* cuius dictionis similia sunt quae habes Med. 606 *rumpe nec sacro violente foedera mundi* (cf. 335), HF. 49 *foedus umbrarum perit*, i. e. ea lex, quae mortuos in terram reverti vetat. item *lex* de certo ordine dicitur, praecipue capillorum Phaed. 320, 804, Oed. 416. ventos inter se b e l l a gerere cottidiana fere in carminibus imago est, cf. Ovid. Met. XI 491 *bella gerunt venti*, Am. II 11, 17, Trist. I 2, 30, Verg. Aen. X 356 sq., Georg. I 318, Hor. C. I 9, 11. atque eodem modo Seneca de bellis ventorum loquitur Med. 940 et Thy. 1079. Thy. 162 poma, quorum ubertate arborum rami cumulantur, d i v i t i a e nemoris non sine quadam dictionis elegantia nominantur. simili significatione haec vox usurpata est apud ceteros, velut Ovidium Fast. I 689, Plinium N. H. V 88 alios. vide etiam, quae postea de epitheto 'dives' disputabimus. duobus locis, Phaed. 392 et HO. 660, Seneca margaritam d o n u m maris vel pelagi nominat, quibuscum conferri possunt Verg. Aen. VIII 658, Hor. C. III 8, 27, Mart. VI 80, 1 sq.

Iam in eo res est, ut ad translationes nominum, quibus res animae expertes significantur, convertamur. quorum priore loco recensebo ea quae ad animalia transferuntur. pro hominibus igitur ipsis res ponuntur his locis: Hercules l u m e n nominatur HF. 1251 *unum lumen afflicto malis temet reserva* (cf. Verg. Aen. XI 349 *lumina ducum*). Tr. 124 Seneca Hectorem c o l u m e n patriae vocat (qua cum imagine conferendi sunt eiusmodi loci: Hor. C. II 17 et Catull. 64, 26) ac paulo post (v. 126) eundem m u r u m. Homeri enim illud ἕρκος, quod legimus Il. 1, 284 aliisque locis, poetis Latinis frequens imitationis fuit exemplum, cf. Ovid. Met. XIII 281, Sil. It. XVI 68.

Deinde ad varios animi adfectus illustrandos et apud Romanos et apud Graecos naturae vires adhibentur. ita aestus pro amore, ira aliisque animi perturbationibus usurpatum saepe nobis occurrit vel in oratione soluta ac plura etiam eius rei exempla apud poetas invenies. itemque Seneca hac voce utitur, ut Herculis insaniam significet HF. 1089, iram saevitiamque Medeae Med. 939 (cf. Verg. Aen. IIII 532 et 564), amorem Phaed. 290, 362, 589 (cf. Ovid. Am. III 2, 39; 5, 36, Art. III 543). nec minus calores de amore usurpantur Phaed. 292 (cf. Verg. Aen. VIII 390, Hor. C. IIII 9, 11 al.). sed singulare ac Senecae proprium est *vapor* dictum pro amore Phaed. 640, quae res exemplum nobis praebet, quanto opere ille inusitata ac nova captaverit. porro ignis de ira dicitur Med. 591 (cf. Verg. Aen. II 575 al.), pluraliter HO. 311, de amore Phaed. 191, 293, 330, 643, pluraliter 173, 338, 355, 415, HO. 378, eademque vi flammae: Phaed. 120, 131, 165, 187, 291, 359, 361, uno loco singularis flamma 337,[1]) flammae furoris a deo incitati commemorantur Ag. 723, odii et irae ib. 261, HO. 276, 310, 351, de omnibus simul animi motibus Clytaemestrae, timore, invidia, amoris cupidine haec vox usurpatur Ag. 132 *flammae medullas et cor exurunt meum*, paulo post v. 136 legimus faces eadem significatione positum. fax de amore dicta est Phaed. 597, Ag. 119, HO. 370, 377, 556. sitim tropis ab igne petitis illustrat Seneca, voce flammae Thy. 99 *perustis flamma visceribus micat*, ad quem locum conferas velim Ovid. Met. VIII 846 *vigebat flamma gulae*, voce facum Thy. 171 *(sanguis) igneis exarsit facibus*. denique ignis et flamma de oculorum visu usurpata sunt Phaed. 364, 1040, 1269, ignis de rubore genarum Oed. 958, [HO. 1405]. vitam hominis lucem poetas adpellare solere omnibus notum est. apud Senecam haec habes exempla: HF. 1258 *in ista luce*, cf. 1073, Tr. 939 *lucis invisae moras*, Phoen. 248, Phaed. 1217 *donator atrae lucis*, [HO. 1768]. flatum pro superbia dictum uno loco praebet Verg. Aen. XI 346 (Turnus) *det libertatem fandi flatusque remittat*, ceteri latinitatis aureae poetae hanc translationem non admittunt,[2]) saepius apud posteriores ea legitur. Seneca illa uno loco usus est, fortunae tamquam superbiae auctori hunc animi adfectum tribuens, Ag. 247 *superba et impotens flatu nimis Fortuna*. tumor translate et superbiam et iram significat. hanc vocem eo modo positam invenies Phoen. 585,

[1]) Memorabile est Vergilium et Catullum ubique numero singulari vocis flammae translata significatione usos esse, a ceteris poetis singularem et pluralem promiscue admitti, apud Senecam numerum pluralem praevalere. adscribam locos Vergilianos et Catullianos: Verg. Aen. I 673, IIII 23, 66, VII 356, VIII 389, II 587 (*ultrix*), Catull. 51, 10; 61, 178; 64, 92; 100, 7. Vergilius etiam vocem ignis translate usurpatam plurimis locis numero singulari posuit: de amore Aen. I 660, 688, IIII 2, VII 355, Ecl. 3, 66, Georg. III 244, de ira Aen. VII 577, Georg. III 85; numero plurali tribus tantum locis: de amore Aen. VII 320, Ecl. 5, 10, de ira Aen. II 575.

[2]) Apud Ovid. Art. I 715 nunc legitur 'fastus'.

Phaed. 137, Thy. 519. fluctus animi HF. 1093 ad Herculis insaniam illustrandam dixit Seneca, quae metaphora antecedenti adiuvatur imagine a mari petita, quod, cum ventus vim deposuit, etiam tum fluctuat. eodem tropo perturbatum animum declarant Lucr. III 298 et Verg. Aen. XII 831. Med. 391 legimus: *quo pondus animi vergat, ubi ponat minas, haeret* (Medea), quo loco ponderis verbo perniciosa vis irae significatur eodem modo, quo apud Ovid. Am. II 7, 14. quoniam res inanimas ad animalia translatas pertractavimus, id nobis agendum est, ut translationes earum ad res eiusdem generis inspiciamus. qua in re ita progrediemur, ut priore loco de naturae rebus agamus. itaque nox dicitur pro morte HF. 1076, Phoen. 248,[1]) pro caecitate Phoen. 144, Oed. 977,[2]) ubi hoc tropo ironia illa acerba nititur: *inventa thalamis digna nox tandem meis,* 1049, pro tenebris loci inferorum HF. 50, 282 al.[3]), pro carceris tenebris Med. 464 et Ag. 999, de loco obscuro Oed. 549 et Thy. 678. tempestas et procella de omni rerum perturbatione adhibentur non in poetica solum sed in prosa etiam oratione; cf. Cic. pro Mil. 5. cuius imaginis Seneca haec praebet exempla: Thy. 997 *omnis in vile hoc caput abeat procella,* Ag. 63 *vexat animos nova tempestas,* denique in eiusdem tragoediae v. 594 *impotentis procella Fortunae,* ad quam locutionem conferri potest Lucan. II 243 *quam turbine nullo excutiet Fortuna tibi.* vocem turbinis eadem significatione usurpatam Seneca exhibet Ag. 197 *turbo quis rerum imminet.*

Aura populi (Phaed. 488) significat populi favorem aura inconstantiorem; *aura inanis* de eadem re dictum habes HF. 171. *popularis aura* tamquam sollemnis locutio compluribus locis apud Livium legitur (III 33, 7, XXX 45, 6, XXXXII 30, 4, coll. XXII 26, 4). nebula pulveris rara est locutio, quae apud Lucretium solum (V 253) invenitur, scriptores latinitatis aureae voce nubis in hac re utuntur.[4]) Seneca autem in lucem tamquam protraxit illud Lucretii oblivione paene obrutum, cum dixit Phoen. 395 sq. *campus in caelum erigit nebulas. nubila fati* legimus Thy. 934. voce imbris tribus locis Seneca pro lacrimis utitur: Tr. 966, Oed. 953, Thy. 950, pro sanguine e vulnere erumpente Oed. 349 et 978. hic locus *rigat ora foedus imber* (oculis effossis) compositus est ad Sophoclis Oed. regis v. 1278 sq. exemplum, ubi eundem tropum legimus: *ὁμοῦ μέλας ὄμβρος χαλάζης αἱμάτων ἐτέγγετο.* pro lacrimis rarissime imber invenitur apud latinitatis aureae poetas, cf. Catull.

[1]) Cf. Verg. Aen. VI 827, X 746, XII 310, Georg. I 468, Ovid. Met. I 721, III 503, V 71.

[2]) Cf. Ovid. Met. III 335, VII 2.

[3]) Cf. Verg. Aen. VI 265, 866, Ovid. Met. III 695.

[4]) Hanc vocem, nubem dico, apud Senecam saepius legimus, veluti Phoen. 394, Oed. 1000, Ag. 600; de avibus, quae nubis modo lucem solis obscurant, usurpatur haec vox Phoen. 422, cf. Verg. Aen. XII 254.

68, 56 *tristique imbre madere genae* et Ovid. Trist. I 3, 18 *imbre per indignas usque cadente genas,* nusquam hic tropus legitur in Vergilii Horatii Tibulli carminibus, frequentior autem fit aetate posteriore.[1]) imber pro sanguine dictio est latinitatis argenteae.[2]) saepius aetatis aureae poetae et lacrimas et sanguinem roris voce illustrant, quam Seneca quoque praebet Phaed. 382 *assiduo genae rore irrigantur.* oculos fulgentes Ovidius cum sideribus comparat Met. I 498 eosque sidera adpellat in adpositione Am. II 16, 44 *perque oculos, sidera nostra, tuos,* ad cuius loci imitationem composuit Seneca ea quae leguntur Phaed. 1174 *heu me, quo tuus fugit decor oculique nostrum sidus.* permultis autem locis eundem pro oculis lumina dixisse ut hoc loco exponatur nemo puto expectabit. Cic. Disp. Tusc. I 20 dicit: *Plato triplicem finxit animum . . . rationem in capite sicut in arce posuit.*[3]) in poeticam orationem primus Seneca hunc tropum induxit, qui Oed. 185 caput *corporis arcem* nominat, atque ita quoque Stat. Silv. II 2, 131 *celsa tu mentis ab arce despicis errantes*; cf. Claud. de IIII. cons. Honor. 235 *alta capitis in arce.* Latini et scriptores et poetae refugium ex quolibet malo vel labore portum nominare solent. quem usum secutus Seneca dicit Ag. 790 *optatus ille portus aerumnis adest* et v. 592 mortem *portum placidum* vocat, quibuscum locis conferas HF. 1131 *ad Stygios portus,* [HO. 1021 *mors sola portus dabitur aerumnis meis*]. ea translatione utique hominum vita cum nave comparatur, quae variis tamquam procellis agitata tandem in tutum portum pervenit. ac iam Ennius fab. 316 M. (cf. Cic. Disp. Tusc. I 107) portum dixerat de sepulcro. minus usitata est locutio *portus vitae* de somno, quam legimus HF. 1072. substantiva quae viam significant quam saepe per imaginem in sermone Latino adhibeantur, nemo puto ignorat. itaque insigniores tantum eius generis translationes ac longius extentas ex Senecae tragoediis adscribam. Oed. 987 legimus: *omnia secto tramite vadunt,* i. e. omnia ita evadunt, ut fato constitutum est, 890 sq. *tuta me media vehat vita decurrens via,* Ag. 115 *per scelera semper sceleribus tutum est iter,* ad quod conferas Ovid. Met. XV 106. verbum fructus pro bono eventu dictum ita usu receptum atque tritum fuisse, ut nemo de imagine cogitaret, non est quod exponam. legimus hanc vocem ita translatam HF. 655, 1253, 1257, Tr. 422, Med. 563, Phaed. 872, Thy. 906. scintillas semina flammae vocant Vergilius Aen. VI 6 et Ovidius Met. XV 347 Homericum illud σπέρμα πυρός (Odyss. V 490) imitati eosque secutus est Seneca Med. 834, ubi legimus: *donisque meis*

[1]) Cf. Stat. Theb. IIII 591 *umectant imbribus ora,* V 270 *indignum oculis liquentibus imbrem.*

[2]) Cf. Stat. Theb. I 438 *sanguineo imbre,* coll. X 479, III 123 *atri imbres,* XII 604 *cruento imbre.*

[3]) Conferri potest Plinius N. H. XI 135, quo loco cerebrum cum arce comparatur.

semina flammae condita serva. HF. 347 sq. Lycus, qui utpote homo novus nuper imperio potitus nondum firma auctoritate fruebatur, se Herculis uxore in matrimonium ducta obscuram suam originem claram reddere posse sperans haec verba facit: *ducet e genere inclito novitas colorem nostra*, quo loco color est splendor, nobilitas. nam quod colorem non habet facile praetereunt homines, in rem vero colore splendidam omnium oculi se convertunt, haec nobilitatem quandam habere videtur. aliis quoque locis haec vox translata invenitur, veluti de externo habitu ac specie Cic. ad Att. IIII 16, 10, de mentis atque cogitationum tamquam habitu Sen. Epist. CVIII 5 et Quint. Inst. or. X 1, 59. saepius pondus aut moles, quae substantiva rebus materia atque corpore praeditis proprie conveniunt, rebus neque visu neque tactu manifestis tribuuntur. ita dicit Seneca Tr. 491 *grave pondus illum magna nobilitas premit,* Ag. 88 sq. *sidunt ipso pondere magna ceditque oneri Fortuna suo,* Oed. 676 *exuere pondus* (regni, cf. v. 687 et Ovid. Met. XV 1 *tantae pondera molis,* regni dicit), v. 84 *cadentis imperi moles labet,* Thy. 930 *fracti pondera regni non inflexa cervice pati,* HF. 1239 *molem mali,* quae locutio quoque Ovid. Met. XI 494 invenitur. his addas quaeso locos Oed. 829 et HO. 230 sq. *cumulus malorum* legitur Phaed. 1119, cf. Iuv. III 210 aliosque locos. huc denique referenda est pestis pro omni exitii genere dicta. Tr. 584 'pestes' idem sunt quod supplicia, Ag. 557 pestis pro clade dicitur (cf. Verg. Aen. V 683 et 699). lues eadem significatione usurpatur, cuius rei poetae aetatis Augusteae exempla non praebent, multa vero prosae orationis scriptores, unde colligi potest magis vulgaris sermonis eo tempore huius substantivi translationem fuisse. apud posteriores poetas saepius eam invenies. ita legimus Sen. Tr. 585 *carceris caeci luem.*

Inspiciamus iam res hominum manibus factas pro ceteris rebus per metaphoram adhibitas. ac primum ad domum eiusque partes animum advertamus. silvam poetae domum nominare solent, cum de animalibus vel hominibus agitur, qui eam incolunt, velut Ovid. Am. I 4, 9 *nec mihi silva domus* et Art. II 475 *silva domus fuerat* priscis hominibus, qui nondum domiciliis arte exstructis utebantur. hoc usu adductus Seneca duobus locis, ubi incolae non commemorantur, silvam domum adpellat, Med. 766 *nemoris antiqui domus* et HF. 239 *nemoris opulenti domos.* similiter Hor. C. I 28, 5 *aerias domus* dixerat de hominum animis cogitans, quas doctrina Pythagorea in aere errare tradidit, quamquam earum mentio non fit. porro solis domus per metaphoram oriens et occidens nominantur, quarum ex una sol mane prodeat, alteram vespere ingrediatur. ita Ovid. Her. VIIII 16 *implesti meritis solis utramque domum* et Seneca HF. 1062 *obitus pariter tecum Alcides vidit et ortus novitque tuas utrasque domos.* ut domus ita singulae quoque domus partes ad metaphoram conformandam inserviunt. columen, quo verbo proprie

summa domus pars significatur, de rebus dici solet, quae ceteris antecellunt, velut Seneca Tr. 6 Troiam urbem *columen Asiae* nominat, quocum loco conferas Verg. Aen. II 290 *ruit alto a culmine Troia.* limen a poetis et scriptoribus saepe pro initio ponitur. ac sic dixit Seneca HF. 1132 sq. *in primo limine vitae* i. e. in prima infantia ac simillime Lucanus II 106 *primo in limine vitae.* voce cardinis Seneca finem vitae significat Tr. 52 *mortalis aevi cardinem extremum premens,* quae locutio eadem fere forma iterum apud Lucanum nobis occurrit VII 381 *turpes extremi cardinis annos.* in hoc igitur nomine tropi vis fere evanuit ita, ut aliud ad eandem rem indicandam vocabulum non praesto sit. idemque dicendum est de nomine gradus, quod translata significatione usurpatum invenies in his fabulis: HF. 209, 291, Phaed. 452, Thy. 747.

Orcum Seneca HF. 57 et Phaed. 836 carcerem umbrarum nominat. ex poetis aetatis Augusteae unus Ovidius hoc nomine inferorum loca designat, sed ea tantummodo quibus hominum nefariorum animae vinculis coherceri variisque suppliciis torqueri credebantur, Met. IIII 453 *carceris ante fores clausas adamante sedebant* (Furiae) ac similiter Ib. 80 et Am. II 2, 42 *squalidus orba fide pectora carcer habet.* his igitur locis propria servata est eius verbi significatio. contra vero apud Senecam, ubi, ut supra adnotavi, totus orcus carcer nominatur, translatio est. huic voci substantivum metae addo, quod proprie significat columnam, quae in circo posita aurigis circumflectenda erat, translate autem pro fine ponitur. atque ad propriam significationem magis accedit haec vox de fine cursus solis dicta, quem veteres quadrigis uti putabant caeli spatium tamquam circum percurrentibus. sic Phaed. 286 legimus *ad Hesperias metas* (similiter Ovid. Met. II 142 *Hesperio positas in litore metas*) et HO. 45 *intraque nostras substitit metas dies.* deinde nominatur mors Tr. 398 *velocis spatii meta novissima,* quocum loco conferas Verg. Aen. X 472 *metasque dati pervenit ad aevi.*

His expositis iam agamus de rebus vel instrumentis, quae hominibus cottidiano usui sunt, per metaphoram adhibitis. locus qui legitur Phaed. 1181, ubi capilli capitis exuviae nominantur, ad Catulli 66, 62 compositus est, apud quem, si Senecam exceperis, solum hic tropus invenitur. fax pro fulmine, quae translatio in argentea tantum latinitate usu vigebat, in Senecae tragoediis saepius legitur: Phaed. 681, Thy. 1089, HO. 325 [880, 1144, 1913, 1915]. rarissime apud poetas Senecam antecedentes fax pro sole usurpatur (cf. poet. apud Cic. de div. I 18 *Phoebi fax*), Seneca ipse eius rei exempla haec praebet: Phaed. 379 *Phoebea fax,* Thy. 835 sq. *aeterna fax,* [HO. 1288], cf. HF. 38. lampas, quod verbum Seneca quoque in imagine exhibet Phoen. 87, in aurea latinitate saepius invenitur, cf. Verg. Aen. III 637, IIII 6, VII 148. habenae pro gubernaculo dicuntur Med. 347, pro imperio Tr. 726. hominis animum eiusque

adfectus frenis coherceri imago est usitatissima, quam invenies Tr. 279, Med. 592, Phaed. 574, Thy. 496, stimulos pro incitamento legimus Phoen. 206, Med. 833, Ag. 133, 720, iugum pro servitio HF. 267, 432, Tr. 147, 338, 747, 910, Med. 442, inprimis pro servitio, quod amore aliisque cupiditatibus homini imponitur, HF. 1019, Phaed. 135, 576, Ag. 134, pro coniugio Med. 62. restat ut adnotem tempori saepius rotam tribui, quod id currus instar celerrime transvolet, cf. Verg. Aen. VI 748. qua imagine Seneca duobus locis usus est, HF. 180 *rota praecipitis vertitur anni* et Oed. 252 *tarda celeri saecula evolvis rota.*

II. Translationes adiectivorum.

Adiectiva translata cum unde petita essent respicerem, ea in tria genera distribuenda esse videbantur, prout, si propria eis inest significatio, aut animantibus aut naturae inanimatae eiusque viribus aut denique aliis rebus conveniunt. omnia fere quae in hoc metaphorae usu apud Senecam leguntur usitatissima sunt. quare exempla ex ceterorum poetarum carminibus deprompta ad omnes locos adscribere plane supervacaneum esse putavi.

Poetae libenter adiectiva, quae animalibus ratione praeditis proprie conveniunt, rebus inanimis tribuere solent, ut hac translatione quasi animam recipere atque ipsae agere videantur. itaque adtributa ad animum pertinentia ad res inanimatas transferuntur atque inprimis res, quae hominibus perniciosae sunt, tamquam consilio nocentes a poetis finguntur. veluti Seneca Med. 302 *freta perfida* adpellat, quod navem tranquillo fluctu exceptam mox ingenti undarum impetu contundant. eadem personae fictio legitur Verg. Georg. I 254 *infidum marmor* et Ovid. Met. XIII 710 *portus infidi.*[1]) eodem modo Seneca Ag. 558 undam mendacem adpellat, scopulos sub maris aequore iacentes spectans. solus ille mari tribuit hoc adiectivum, sed comparari potest Hor. C. III 1, 30 *fundus mendax,* qui non suppeditat quod tamquam promisit. similis est imago, quae legitur Phaed. 16 *(Ilisos) amne maligno radit harenas,* cf. Verg. Georg. II 179 *colles maligni,* Lucan. V 651 *orae malignos Ambraciae portus* al. atque ut malignus, ita benignus de rebus inanimis dicitur, praecipue de solo, quod largum victum praebet hominibus, cf. Ovid. Am. I 10, 56, Tibull. I 3, 62, III 3, 6, Plin. N. H. XVIII 1, XXXIII 2. eodem tropo Seneca usus est Thy. 848, ubi legimus *vere benigno.*

---

[1]) Cf. quoque Tr. 476 *locus fidus* et Phaed. 569 *amica ratibus vada.* — *perfida fax,* quod legimus Ag. 570, inter adiectiva metonymice adhibita posui, quia in adtributo, quod Nauplio naves Graecorum face ad scopulos adlicienti convenit, ad instrumentum ipsum translato metonymia inesse videtur.

Neque minus animi adfectus rebus inanimis tribuuntur. ita res copia et ubertate tamquam florentes laetantes finguntur. veluti Seneca dicit *rebus laetis* Tr. 3, *laetus Cithaeron* Oed. 845, *laeta arva* Phoen. 605 (cf. HF. 698 et Phaed. 456), *laeti rami* Thy. 652, 55 *fores l.*, HO. 380 *l. forma*. Tr. 203 *laeta vela* sunt quae vento secundo inflantur. quemadmodum homines copia atque divitiis instructissimi superbi esse solent, eodem modo splendidis rebus eadem, quae nasci solet in hominibus, superbia imputatur. sic adiectivum superbus cum his coniungitur nominibus: *regnum* Tr. 829, *currus* 188, *exuviae* Ag. 880, *aditus regum* HF. 164 (cf. Hor. Epod. 2, 7 sq.), *nomen* Phaed. 609. simili modo naves audaces et timidae adpellantur: Med. 607 *audacis carinae*, HF. 553 *timidis navibus* rebusque quamquam animi expertibus aviditas tribuitur, veluti perbene ignis (Med. 885) et quae innumerabiles homines corripit pestis (Oed. 4, 589) avida adpellantur[1]) eodemque modo tempus (Tr. 400), aetas (HF. 291), fatum (Oed. 412), mors (HF. 555 *mors avidis dentibus gentes innumeras manibus intulit*[2]), Dis (Ag. 752; idem avarus dicitur HF. 782[3]), chaos HF. 677, dolores Tr. 762. simili modo rebus rabies, insania animusque hostilis tribuuntur. Thy. 361 legimus *rabidus tumor Hadriae*, mare insanum dicitur Med. 765, Phaed. 351, 700, Ag. 540, 599, venti Phoen. 420, 429, Phaed. 736, 1130, Thy. 636, discordes fluctus Med. 941, latex HF. 711, favilla Oed. 323.[4]) voluntas quoque rebus adscribitur: Tr. 49 *quod* (ferrum) *penitus actum cum recepisset libens* (vulnus), cf. Phoen. 175 *cupientes oculos*, HF. 676 *puppes aestus invitas rapit*, Thy. 770 *ignis invitus*, 565 *ensis*, 896. reliqua quae cum rebus inanimis coniuncta mentem eis tribuunt adiectiva sunt: memor Med. 622, nescius Phaed. 801 (*caesaries nescia colligi*), inscius Oed. 545 (*umor*), conscius Oed. 1001 (*conscium evasi diem*) et similiter Phoen. 9.

Iam inspiciamus adtributa, quae, cum ad animantium corporum habitum pertineant, ad res transferuntur. veluti Phaed. 208 legimus *tecta sani moris* i. e. in quibus integra est morum probitas, Thy. 240 domus aegra i. e. sceleribus corrupta. caeca fors, quod extat Phoen. 632, usitatissima est apud poetas translatio. adiectivum gravidus ab animalibus petitum praecipue ad nubes aquae plenas transfertur, cf. Tr. 394 *nubes, gravidas quas modo vidimus* et Lucr. VI 259 *fulminibus gravidam tempestatem atque procellis.* sterilis idem translate valet ac vacuus HO. 133 *steriles focos*, Thy. 173 *sterili vado* i. e. aquae experti. ad corpus etiam pertinet gracilis, quod adiectivum Seneca (Phaed. 13) et scriptores rei rusticae de agris usurpant. adiectivum garrulus a lingua

[1]) Cf. Ovid. Met. VIIII 172 *avidae flammae*, Lucr. VI 1233 *avidus morbus*.

[2]) Cf. Tibull. I 3, 4 *abstineas avidas mors manus*.

[3]) Cf. Verg. Georg. II 492 *Acheron avarus*.

[4]) Cf. Ovid. Met. IIII 621 *ventis discordibus*.

humana petitum libenter poetae aquae tribuunt, cum undarum sonus continuus hominem garrientem aequiparet; atque ita dicitur Oed. 493 *garruli rivi.* his denique addo artis vocabulum surdus, quod apud Vitruvium V 3, 5 (cf. Varr. de ling. lat. VIIII 38) de theatro vocem supprimente dictum eadem significatione HF. 576 usurpatum legitur.

Iam ad adtributa, quae a variis hominum condicionibus moribusque petita sunt, nos convertamus.

Libenter Annaeus montes saxosos ac steriles inhospitales adpellat, Taurum Phaed. 168, Caucasum Med. 43 et Thy. 1048.[1]) dives ad aedificia opibus referta aut ad terras transfertur, quae fructus large procreant: Thy. 649 *dives domus*, Phaed. 67 *silva*, Phoen. 608 *solum*;[2]) cf. etiam Med. 65, quo loco cornu abundans hoc epitheto exornatur. deinde Seneca imagine non iniucunda usus flumina, quae aurum secum trahunt, ditia adpellat, Pactolum Oed. 467 *divite Pactolos vexit te Lydius unda, aurea torrenti deducens flumina ripa* (cf. Phoen. v. 604), Hydaspen HO. 628. similem usum inveni apud Martialem X 16, 4 *aurea quidquid habet divitis unda Tagi.* ceterum quaelibet res, sive aurata est sive aurea, eodem adtributo exornatur, veluti poma Hesperidum aurea HF. 532. atque ita Verg. Aen. VI 195 aureum ramum divitem adpellat et in Lygdami elegiae III v. 11 auro ipsi hoc adtributum adiungitur. haec igitur omnia quae modo exposui apud poetas usitatissima sunt. singulare vero ac Senecae proprium est adiectivum innuptus ad boves translatum, quod legimus Oed. 373, sed in mentem velim revoces et plantas quae alligantur saepius tamquam nubentes fingi (cf. Plin. N. H. XIIII 10 et XVIII 266) et verbum maritandi de animalibus usu receptum esse (cf. Varr. de r. r. II 9, 11 et Colum. VIII 2, 12). addo adiectivum volucer, quod non raro cum rebus coniungitur, ut celer earum motus cum ave volanti comparetur. ceterum hic usus non solum poetarum proprius est, sed in prosa etiam invenitur oratione. ex Seneca haec profero exempla: HF. 179 *volucri die* (cf. Hor. C. III 28, 6, IIII 13, 16), Phoen. 421 *volucer ventus* (cf. Ovid. Am. II 11, 33), HO. 139 *volucer Inachus*, HF. 750 *volucri rota* (cf. Verg. Aen. VIII 433).

Sequitur ut, quod erat propositum, dicatur de illis adiectivis, quae a rebus naturae inanimatae eiusque viribus petita per metaphoram usurpantur. viridis, quod est plantarum proprium, a poetis et scriptoribus ad hominem eiusque aetatem transferri nemini ignotum est. eodem modo Seneca Oed. 775 dixit *primo in aevo viridis. viridis sanguis* autem Oed. 297 dictum est sine dubio ad imitationem Graeci *χλωρὸν αἷμα,* quae verba in duabus quas Seneca tamquam exempla secutus est tragoe-

[1]) Cf. Hor. C. I 22, 6 et Epod. 1, 12 *inhospitalem Caucasum.*

[2]) Cf. Ovid. Met. IIII 468 (*regia*), X 307 (*tellus*), Verg. Aen. VII 262 (*ager*) al.

diis, Soph. Trach. 1055 et Eur. Hec. 127, consociata leguntur. haec igitur Seneca profecto melius interpretatus est quam Cicero, qui in Trachiniarum loco in sermonem Latinum converso (Disp. Tusc. II 20) ea verbis 'decolorem sanguinem' reddidit. videtur autem potius de sanguine vivo cogitandum esse. praecox, quod est ante suum tempus maturus, translata significatione legitur Phoen. 250 *aliquis intra viscera materna letum praecoquis fati tulit*; cf. de brev. vit. 6, 2 *praecox audacia*, Stat. Silv. II 1, 39, Quint. I 3, 3.

Ab aqua petita sunt adiectiva fluidus et fluxus, quae saepe translate usurpantur. Oed. 423 legitur *fluidum syrma*, quocum conferas Iust. XXXXI 2, 4 (*f. vestis*), Phaed. 491 *fluxas opes*, quod in sermone soluto satis tritum est. rubor vultus cum igne comparatur Med. 387, ubi legimus *flammata facies*; oculi *ignei* vocantur HF. 218, cf. 1022. de adiectivis fervidus (*fervidos iuvenes* Phoen. 411, *fervidam mentem* Med. 558) et tumidus, quod de irato aut superbo animo dicitur HF. 171, 384, Tr. 253, 264, 301, Med. 178, Ag. 127, 248, HO. 142, 167, non est quod pluribus exponam. quodsi Seneca Oed. 214 dicit *ambage flexa Delphico mos est deo arcana tegere*, ambigua oraculi verba cum flexis labyrinthi erroribus comparat. Statius, qui Theb. IIII 645 idem exhibet, ex hoc Senecae loco hausisse videtur; nam in Thebaide componenda Senecae Oedipum tragoediam ante oculos eum habuisse et prius luculento exemplo demonstrasse mihi videor[1]) et facile cognoscitur ex comparatione huius tragoediae versuum 390—658 cum Stat. Theb. IIII 406—645, quorum utroque loco animae ex inferis citatae esse narrantur.[2]) ut autem oraculi verba *flexa*, ita Sphingis *nodosa* adpellantur in eiusdem tragoediae v. 101, quam translationem Seneca ipse invenisse videtur. similiter postea *nodosas quaestiones* dixerunt Ammianus XXX 4, 13 et Macrobius Sat. VII 1, 15. denique uno verbo tangam adiectivi fragilis usum satis pervulgatum Phaed. 489 (*fragilis favor*), cf. 774, Tr. 5. ceterorum adiectivorum, quae hoc loco commemoranda sunt, translationes omnium scriptorum Latinorum communes sunt, quam ob rem ea enumerare satis habeo: acerbus, asper, ater, candidus, dulcis, durus, sordidus.[3])

---

[1]) Cf. p. 6.

[2]) Conferas velim de hac re Braunium Mus. Rhen. XXII 270 sqq., qui ex hac comparatione falsam conclusionem fecit.

[3]) Locos quibus haec adiectiva leguntur adscribam: acerbus: Phaed. 991 et [HO. 838] (*sors*), Ag. 416 (*fatu*); asper: Phaed. 993 (*clades*); ater: Phaed. 1217 (*lux*), [HO. 1419], cf. HF. 694, Oed. 164, Ag. 763, Phaed. 492 (*niger livor*); candidus: Med. 329 (*candida saecula*); dulcis: HF. 657, Tr. 1009 et sq., 1024, Phaed. 134, 302, 591, Oed. 612, Ag. 584; durus: de hominibus HF. 181, Tr. 981, Med. 120, Ag. 668, Thy. 299, 712, 763, [HO. 1280, 1393, 1539], Phoen. 113, 582 (*pectus*), 310 (*adfectus*), HF. 1228 (*durus malis vultus*); durus i. q. molestus, gravis: HF. 137 (*labor*), 867 (*fatum*), 1069 (*mors*), Phoen. 596 (*arbitria*), Phaed. 991 et Thy. 879 (*sors*), Tr. 963 et Phoen. 165 (*anima*), HF. 165 (*fores*), 649 (*vincla*),

id tantummodo adnotem Phaed. 1275 Theseum domum, quae et filii et uxoris morte duplicem ac gravissimam tamquam plagam acceperit, acerbam factam adpellare. quod respondet Graeco *πικρὰν γενομένην* atque indicat domum antea dulcem iam Theseo exosam esse. restat ut adnotem adiectivum rigens nisi apud Senecam ad animum translatum nusquam inveniri. legimus enim Phaed. 413 *animum rigentem* i. e. animum, qui flecti nequit, et Thy. 304 *egestas tristis ac durus labor quamvis rigentem tot malis subigent virum* i. e. virum, cuius animus tot malis induruit. ceteri scriptores hac significatione vocem 'rigidus' usurpant; cf. Ovid. Met. II 813 *rigido parenti* et Rem. am. 762 *rigidos mores.*

III. Translationes verborum.

Cum varietas in verborum translatione permagna sit, prout aut subiectum aliud aut obiectum cum singulis verbis coniungitur ac propriae eorum significationi respondet, deinde cum quorundam verborum vis latius pateat quam ut facile discerni possit, utrum propria significatione de animalibus an de rebus inanimis dicantur, fieri non potest, ut verborum eodem modo atque substantivorum translatorum certa quaedam genera distinguantur. quare summatim tantum classes quasdam constitui, quarum in prima ea verba posui, quae propria significatione nisi cum subiecto aut obiecto, quo aut corpus animalium aut hominum animus significetur, coniungi non possunt, in altero verba, quae ad cetera animalia sola pertinent, in tertio ea quae de naturae rebus ac viribus proprie dicuntur, veluti de plantis aqua igne aliis. his adiunxi verba motum significantia, postremo ea quae actionem quandam exprimunt posui. his igitur praemissis iam ad rem ipsam nos vertamus.

1. Verba, quae proprie de corporibus hominumque animis usurpantur.

Vergilium secutus, qui Georg. I 434 dixit 'totus et ille dies et qui nascentur ab illo', Seneca pluribus locis diem nascentem facit HO. 336 *dies nascetur,* 642 *enata dies,* Tr. 10 et [HO. 861] *renatum diem,* HF. 127 *luce renata.* his locis omnibus verbum nascendi solem spectat, qui cottidie recenti tamquam luce accepta ex mari nasci videtur. quare legimus quoque Phaed. 285 *nascentem solem,* quocum loco conferas Verg. Ecl. 8, 17 *nascere . . . Lucifer,* Hor. C. III 23, 2 *nascente luna.* Ag. 27 Thyestes liberos, quos ipse comedit, in se sepultos esse pronuntiat et apte quidem, cum in eius corpore tamquam in sepulcro conditi sint. adde v. 743 *testis Troiae sepultae,* quod imagine a corpore terra obruto petita perbene dicitur de urbe diruta ruinisque aedificiorum et pulvere

433 (*imperia*), Phoen. 525 (*pretium*), Thy. 872 (*gelu*), Phaed. 22 (*Acharneus*), HF. 656, Tr. 909, Oed. 208, Thy. 447; sordidus: HF. 200 (*fortuna*), 267 (*iugum*).

tecta. *sepulta urbs* quoque dicitur Tac. Hist. III 35[1]) al. cruorem sitire i. e. mortem alicuius concupiscere ceteros poetas secutus Seneca dixit Thy. 103 *sitiant cruorem* (cf. Ovid. Met. XIII 768 *sitis cruoris* et Trist. III 11, 57). idem rebus inanimis cruoris sitim adtribuit, cum dixit Tr. 957 *cinis ipse nostrum sanguinem ac tumulus sitit*, cf. Stat. Theb. XII 595 *sitit meritos etiamnum haec hasta cruores.* similiter loca, quae hominis interfecti cruorem excipiunt, eum bibentia induxit: HF. 484 *foci bibere iustum sanguinem*, Tr. 1164 *sanguinem tumulus bibit*, Ag. 700 *bibere tumuli sanguinem atque arae meum*, Med. 778. eandem translationem, ut Graecos omittamus, invenimus apud Ovidium Met. XIII 409 sq. *ara cruorem conbiberat*, coll. Verg. Aen. XI 804 *(hasta) alte bibit acta cruorem*, posterioris aetatis poetae multo saepius ea usi sunt. qua de re conferas velim Sil. It. XVII 413 *gentilem bibit tellus cruorem*, XVI 216, de hasta dictum XI 293, XV 632. ex maiore exemplorum numero, quae ex Senecae tragoediis et Silii Punicis deprompsi, satis elucet, quemadmodum latinitatis argenteae poetae tales locutiones, quae rebus cruentis depingendis ac terrori legentibus movendo inserviebant, ab aetatis Augusteae poetis parce adhibitas iteraverint. humum mel et lac bibere Seneca dixit Oed. 494 sq. *conbibit dulces humus alta sucos niveique lactis candidos fontes* (similiter Ovid. ex Pont. I 8, 60 *sitiens quas bibat hortus aquas*). tamquam bibentes etiam vestes induci solent, quae aut colore aut alio liquore tinguntur. exempla habes HO. 565 et 664. adiungo denique eiusdem fabulae v. 557 (Hercules) *perbibat formam mei* et HF. 777, quo loco Seneca navem, quae corporis Herculei onere pressa ita immergitur, ut aqua utrimque in eam influat, aquam bibere dicit.[2]) iam liceat cetera verba, quae ad victum pertinent, adscribere: pasci et pascere praecipue de igne usurpantur. sic Oed. 188 *sacer ignis pascitur artus*, quocum conferendi sunt loci simillimi Ovid. Met. VIIII 202 *pulmonibus errat ignis edax imis perque omnes pascitur artus* et Verg. Georg. III 566 *artus sacer ignis edebat.*[3]) verbum activum legimus HO. 577 *ture flammas pascat*, 351 *quid ipsa flammas pascis* (invidiae ac furoris), 448 *quidquid dolorem pascit*, [1319, 1398]. alere et nutrire significatione augendi transferuntur ad res, quae sunt quaeque cogitantur: HF. 934 *nive nutritus amnis*, Phaed. 134 *dulce nutrivit malum*,[4]) 460 *animum libertas alit*, Oed. 196 *alitur sitis* (cf. Ovid. ex. Pont. III 1, 18), *flammas alere* Med. 889, HO. 310. satiare translate idem valet ac satis facere vel taedio imbuere. Seneca

---

[1]) Cf. Stitz, Die Metapher bei Tacitus, pars II, lib. schol. gymn. Cremensis 1884.

[2]) Cf. Ovid. Am. II 11, 6 (*o utinam*) *Argo funestas pressa bibisset aquas.*

[3]) Cf. [HO. 1226] *exedit artus penitus et costas malum.* participium exesus legitur HF. 154, Tr. 831, Phoen. 72, 359, Ag. 764, Thy. 75.

[4]) Cf. *alitur malum* Phaed. 101, *nutrire amorem* Ovid. Art. III 579 et Met. I 496.

multa eius rei praebet exempla.[1]) Tr. 400 *tempus nos avidum devorat et chaos* verbum devorandi idem valet quod delere (cf. Cic. in Pis. 48). *flammam vomentes* oculos Seneca dixit Phaed. 1040 Vergilium secutus, qui hac locutione, ut res splendentes illustraret, usus est Aen. VIII 680 sq.[2]) Ag. 390 Delus insula, quae fluctibus ventisque prius agitata postea in firma sede affixa esse ferebatur, *auras respuere* dicitur,[3]) quem locum forsitan ante oculos habuerit Claudianus de rapt. Pros. I 148 sq. *caput inde Pachyni respuit Ionias praetentis rupibus iras.* vulgo usitata est verbi mordendi metaphora, quae legitur Tr. 1011 *luctus lacrimaeque mordent.* ad hominum valitudines haec pertinent verba: torpendi verbo usus est Seneca de tellure HF. 702 et lyra Med. 348, furere res inanimae dicuntur, mare[4]) Ag. 65 et ignis[5]) HF. 106, Med. 885, Phaed. 190, HO. 285, [1958], sanare ita ut idem sit quod expiare adhibitum legimus HF. 1262 *sanandum est scelus,* qua vi usurpatum hoc verbum nusquam alio loco invenitur.[6]) fatigari non homines solum dicuntur, sed etiam res inanimatae, veluti Oed. 193 *amplexu frigida presso saxa fatigant,* quocum loco conferas Aen. VIIII 605 *pueri silvas fatigant* et X 304 (puppis) *fluctus fatigat.* eadem translatione participium fessus cum rebus inanimis coniungitur, velut Thy. 199 *fessis* (rebus) i. e. adversis (cf. Verg. Aen. III 145, XI 335). his verbis adiungam lacerare de curis usurpatum Ag. 666 *quos secretae lacerant curae*; similiter adhibitum est v. 62 vexare. verbum necandi latinitatis aureae poetae nisi propria significatione non usurpant. Seneca illud ad animum transfert Phaed. 454 *necas rectam indolem.* ad animalium vocem pertinet verbum gemendi, transfertur autem ad omnem strepitum gemitus similem, praecipue earum rerum, quae rotantur, veluti Seneca Tr. 414 *gemeret axis tremens* et Phaed. 77 *plaustro gementi* (cf. Verg. Georg. III 183 *gementem rotam,* Ovid. ex Pont. III 3, 10 *gemuit fenestra,* Plin. Ep. VIIII 26, 4 *gubernacula gemunt*). Symplegades magno fragore concurrentes gemere dicuntur Med. 343,

---

[1]) HF. 850 (*pars*) *longa satiata vita,* Med. 1009 *si posset una caede satiari haec manus,* Oed. 201 *satiare deos,* Ag. 520 *malis satiate,* similiter [HO. 1319]; Tr. 762 *avidos dolores satio* (querellis). — addo Oed. 633 *pluvio aethere satiata tellus,* 565.

[2]) Aen. VIII 620 dubium est, utrum *vomentem* an *minantem* scribendum sit.

[3]) *Respuere regna,* quod idem est atque adspernari, legimus Thy. 540. *expuere vitam* tropus nominari non potest, cum veteres vitam simul cum sanguine prorumpente ex ore hominis effluere et tamquam expui crediderint. hanc locutionem exhibet Seneca Phoen. 44, Thy. 245, [HO. 1469]. tumide potius quam pulchre dictum est quod legitur Tr. 1169 *ubi hanc anilis expuam leti moram.*

[4]) Cf. Verg. Aen. II 498.

[5]) Verg. Georg. III 100, Aen. IIII 670.

[6]) Cum aliis obiectis coniunctum hoc verbum saepe nobis occurrit et apud scriptores et apud poetas, veluti Caes. bell. Gall. VII 29, 5 (*incommodum*) *se celeriter maioribus commodis sanaturum*; cf. Sen. Ag. 130 *sanavit mora.*

terra Oed. 577, corpora, quae in ara cremantur, et flammae Thy. 772, cf. [HO. 1732 *ingemescit ignis*]. denique de maris sono hoc verbum dictum est Ag. 468 *tractu longo litus ac petrae gemunt* (cf. Hor. C. II 20, 14 *gementis litora Bosphori*). tacendi et silendi verba tam saepe ad res vocis expertes transferuntur, ut huius tropi vim prorsus fere evanuisse statuendum sit. multa eius rei exempla in Senecae tragoediis leguntur.[1]) verba a cultu ac vestitu humano petita saepissime translata significatione usurpari notum est. quare locis, quibus induendi et exuendi verba hoc modo adhibita in Senecae fabulis leguntur, quam brevissime infra indicatis[2]) hos tantummodo breviter perstringam: HO. 213 *vestite genas* (barba), 381 *cum nemora nuda primus investit tepor* (frondibus), accingere ad animum translatum legimus Med. 51, Ag. 192 (cf. Ovid. Met. VII 47).

Iam ad ea me convertam verba, quae sensus vel mentis actionem exprimentia ad res inanimas transferuntur, quacum translatione personarum fictio coniuncta est. ita rebus sensu ac ratione carentibus videndi et audiendi praecipue sensus, mentis agitatio, animi adfectus tribuuntur. exempla cum apud ceteros poetas, tum in Senecae tragoediis plurima extant, quae infra, ne eorum mole textum obruerem, enumerata adposui.[3])

[1]) Med. 766 *tacente vento*, 627 *siluere venti*, Phaed. 954 *undae silent*, HF. 620 *silentem domum*, 848 *per campos silentes*, 862 *silentis otium mundi*, Oed. 178 *nocte silenti*.

[2]) Med. 751 *pessimos induta vultus*, Ag. 707 *induit vultus feros*, Med. 43 *inhospitalem Caucasum mente indue*, HF. 1144 *exuit simulacra mens inferna*, Tr. 562 *exuere fidem*, Phaed. 237 *castos ritus*, Thy. 136 *feros impetus*, Phaed. 1178 *anima Phaedram ac scelere*.

[3]) Videre: HF. 335, 871, 971, Tr. 718, 785, 859, Phoen. 543, 613, Med. 44 sq., 148, 212, 758, Phaed. 285, Ag. 95, 886, Thy. 613 sq., 847, HO. 23, 36, 423, 462, 469, 642, [1269]; revisere: Tr. 698 *te revisat coniugis torus*; spectare: Tr. 932, Phoen. 68, Ag. 562, HO. 103, [1839]; despicere et despectare (de sideribus dicta): Phaed. 785, Oed. 477, (de arbore nemus superante) Thy. 656; prospicere: Oed. 4; respicere: Oed. 112; conspicere: HO. 531. — audire: HF. 1104, Tr. 112, [HO. 1300, 1902]; exaudire: Thy. 114. — sentire: HF. 158 *sentit linea piscem*, 956, Tr. 177, Oed. 159, Ag. 824, Thy. 103, HO. 2, 152, [1635]. — nescire: HF. 1229, Oed. 508, Ag. 113 (cf. adiectiva nescius, inscius); nosse: HF. 174, (234), 1341, Tr. 383, 693, Phaed. 290, HO. 316. — dubitare: Ag. 140 *incerta dubitat unda, cui cedat malo*, Thy. 724 (*cadaver*) *cum dubitasset diu, hac parte an illa caderet*. — timere et similia: Thy. 595 *Cyclades pontum timuere*, Ag. 91 *vela ventos nimium timuere suos*, HO. 54; Ag. 853 *arbor extimuit manus insueta carpi*; Phaed. 538 *arva pavere gentes*; Tr. 841 *quae formidat Borean Enispe*; cf. terrere cum obiecto rem inanimam significante coniunctum: Tr. 674 sq. *Maenas silvas terret*. — gaudere: Tr. 843 *sacris gaudens tacitis Eleusin* [HO. 1351 *nefas triumphat*]; queri lugere plangere: Med. 624 *carinas stare querentes*, HF. 1054 *lugeat aether*, 1121 *plangant tantos arma dolores*, Ag. 682 *fluctu plangente* [HO. 1886 *feriatque graves Maenala planctus*]. — verbum pati de terra usurpatum, quae servitium tamquam a colonis impositum perfert: Phaed. 289, 535; de mari, quod navibus tamquam domatur: Med. 337, 365, de aliis rebus Med. 728, Phaed. 1132. — gravari: Thy. 107 *maestae pedem terrae*

Tertio loco ponam verba, quae ad varias quae inter homines ipsos intercedunt rationes pertinent, velut iubere vetare negare recusare vocare similia ad res inanimas translata. exempla quae in Senecae tragoediis leguntur, quamvis multa sint, tamen nihil quod memorabile sit praebent; quam ob rem aliquot infra adnotasse sufficiet.[1]) his adiungo verba ad fidem et pacem pertinentia. sic HF. 754 legimus *fidem dedit* (*unda*), Phaed. 1074 *arte fluctum fallit*; cf. Thy. 481 sq. *cum morte vita, cum mari ventus fidem foedusque iungent.* proprium Senecae est pacificandi verbum ad mentem translatum, quod per se rarum proprie de eis dicitur quos aliquis sibi reconciliat; cf. Ag. 225 *mentem pacifica.* solus Claudianus in Rufin. II praef. 20 simile aliquid exhibet: *Pieriis aures pacificare modis.* eodem modo regnandi vis rebus tribuitur; cf. Phaed. 184 *regnat furor,* 982 *fraus,* Thy. 679 *superstitio.* exempla eius usus haud rara sunt apud ceteros poetas; conferas velim Ovid. Met. VIII 829, Am. I 1, 26, Her. 4, 12. sic vento, qui mare perturbat, regnum tribuitur Phaed. 1013 *regnante Coro*; cf. Verg. Georg. II 307 (*ignis*) *per ramos victor perque alta cacumina regnat. menti imperare* dicitur Thy. 919, cf. Liv. XXXIIII 31, 2, Cic. Disp. Tusc. II 47 al. cum obiecto rem inanimam significante hoc verbum Seneca coniungit Oed. 897 *imperat pinnis puer.* taurum boum gregi imperare uno solo loco legimus Tr. 540 *armenti comes gregem paternum ducit et pecori imperat.*[2])

Nunc ad eas locutiones me verto, quae ad bellum vel certamen pertinent. Med. 616 perbene Seneca mare prima nave, quae Argo fuit, ad certamen provocatum esse dicit: *exigit poenas mare provocatum.* eandem imaginem praebent Hor. C. I 35, 7 sq. *quicumque Bithyna lacessit Carpathium pelagus carina* et Stat. Theb. VI 20 (*biremes*) *seu stagna Aegea lacessant.* idem verbo provocandi, quod in latinitate aurea ita usurpatum non invenitur, translata significatione usus est Silv. II 7, 35 *Baetim, Mantua, provocare noli* aliisque locis. porro ut mare provocatum, ita aquas ipsas lacessentes fingit Seneca Phaed. 581 (*dura cautes*) *lacessentes aquas longe remittit.* simili modo translatum hoc verbum praebent Vergilius Aen. VII 527 *aera sole lacessita* et Stat. Theb. IIII 241 *curribus innumeris late putria arva lacessunt,* coll. XII 604, 615. rebel-

gravantur, cf. Verg. Aen. VIII 728 *pontem indignatus Araxes,* quod exemplum adfert Quint. Inst. or. VIII 6, 11.

[1]) Phaed. 535 *iussa dominum pati terra,* Med. 337 (*pinus*) *iussit pati verbera pontum.* — Ag. 565 (Isthmos) *Ionia iungi maria Phrixeis vetat.* — Oed. 68 *rogos silvae negant* (cf. Ovid. Trist. III 10, 73 *poma negat regio*). — Phaed. 365 *lassae genae lucem recusant.* — Thy. 795 *nocturna vocat lumina Vesper* (cf. HF. 131), Phoen. 389 sq. *aera iam bellum cient aquilaque pugnam signifer mota vocat.*

[2]) Cum verbis regnandi et imperandi ad res inanimas translatis cohaerent verba parendi eadem ratione usurpata: Thy. 986 *nolunt manus parere*; [HO. 777 *servit hoc Austro latus*; 976 (*te*) *non audit arcus* i. e. tibi non obtemperat, tendi a te non potest].

lare apud aetatis Augusteae poetas translatum non invenitur (adiectivum rebellis tantummodo uno loco de amore dictum legimus Ovid. Rem. am. 246), contra vel in prosa oratione latinitatis argenteae usitatum est. Seneca eius rei haec exhibet exempla: Oed. 107 *cinis* (Sphingis) *in nos rebellat* et similiter de Achille mortuo Tr. 956, deinde Ag. 138 *pudor rebellat.* anima cum morte luctari dicitur Phoen. 142 et Oed. 344, ubi legimus reluctari.[1]) verbi vincendi tam frequens translatio est, ut labore eiusmodi locos colligendi supersedere possim. unus tantum adnotandus est, cui memorabile aliquid inest, Tr. 966 *imber victo e vultu cadit,* ubi vultus cum lacrimis tamquam proelium committens cogitatione fingitur. cum ceteri poetae e numero locutionum ad bellum pertinentium eas praecipue translatas adhibere soleant, quae magis in universum dictae sunt, velut pugnare et vincere, Seneca maxime locutiones ad singularia pugnarum genera pertinentes translata significatione usurpare solet, veluti bellum canere, tela mittere, arma deponere, quibus metaphora fortior fiat. cuius rei ut proferam exemplum, Ovidius de proeliis tantum ventorum loquitur (cf. p. 9), Seneca contra ventos adeo tela mittentes facit Ag. 477. itemque Senecae propria sunt *ira cecinit bellum* Thy. 553 i. e. bellum movit et Ag. 228 sq. (*anime*) *quid primo impetu deponis arma,* quae imago a fugiente milite petita est.

2. Verba, quae proprie de animalibus solis adhibentur.

Cum ceteris poetis Seneca verbo volandi vel volitandi utitur, ut cuiusvis rei motum celerem significet: Phoen. 547 *excelsos rotis volitare proceres,* Phaed. 1061 *praepeti cursu evolat*[2]) (monstrum illud a Neptuno e mari emissum), Tr. 386 *volant sidera,* Phaed. 1141 *volat ambiguis mobilis alis hora,* quo loco tempus cum ave comparatur.[3]) inhiare, quod tractum est a lupis esurientibus, Seneca HF. 167 translata vi posuit *gazis inhians* Horatium Sat. I 1, 70 sq. imitatus *congestis undique saccis indormis inhians.* mugiendi (immugiendi) verbum de strepitu boum voci simili usurpatur, veluti maris Phaed. 1026, soli HF. 521, Oed. 173, Thy. 262, 681, coll. Tr. 171, de ignis fremitu Oed. 383 et Thy. 1064. his adiungo verbum domandi de hominibus[4]) vel naturae rebus[5]) dictum (exempla quae apud Senecam leguntur infra contuli) et locutiones nonnullas de re equestri et venatione desumptas. eodem modo atque

---

[1]) Cf. Ovid. Am. III 11, 33 *luctantur . . . hac amor, hac odium.*

[2]) Cf. Ovid. Am. III 2, 78 *evolat agmen.*

[3]) Cf. Ovid. Met. X 519 *volatilis aetas.*

[4]) HF. 33, 749, Phoen. 307 al., animus domari dicitur Tr. 419, Med. 506, Phaed. 413, aerumnae Phoen. 78, [HO. 1374], cf. Ag. 75, flammae HO, 276, cf. Phaed. 187.

[5]) Med. 2 *domituram freta ratem* al.; cf. Tr. 819 *maris vasti domitrix Iolcos,* Phaed. 85 *magna vasti Creta dominatrix freti,* Ag. 604 *indomitum bellum,* 964 *indomita verba.*

substantiva frena vel habenae per metaphoram pro gubernaculo usurpantur, verbum frenandi legimus Med. 3 de nave gubernaculo regenda. cetera exempla ad animum humanum pertinent, veluti Med. 866 *frenare iras*, Ag. 203, HO. 277.[1]) frena dare is dicitur qui nullo cohercente suas explicat cupiditates. ita Ag. 114 *da frena* inquit Clytaemestra *et omnem prona nequitiam incita*; Phaed. 449 sq. nutrix Hippolyto persuadens, ut vitae ac morum severitatem deponat, ait: *nunc cursus rape, effunde habenas,* quocum loco conferri potest Verg. Aen. XII 499 *irarum omnes effundit habenas.* hoc loco breviter etiam perstringenda est verbi stimulandi translatio usitatissima, quam legimus Med. 591 *ignis stimulatus ira*, HO. 233, 416, et verbum iugandi HF. 852 *virgines nondum thalamis iugatae*, cf. Tr. 362. locutio Senecae valde accepta est sub ictu habere vel esse, quam non solum in tragoediis invenimus (Thy. 645 *populum habet sub ictu*, coll. Phoen. 530), sed etiam in libris soluta oratione scriptis, veluti de ben. II 29, 4 *quam nihil sit mortale non sub ictu nostro positum* et de consol. ad Marc. 9, 5 *tua innocentia sub ictu est.*[2]) a venatione petitae sunt hae locutiones: Thy. 287 *dabit in laqueos pedem*, 491 *plagis tenetur clausa dispositis fera.*[3])

3. Verba, quae propria significatione de naturae inanimatae rebus ac viribus usurpantur.

Nonnulla quae ad plantas pertinent sollemnem sermonis usum secutus Seneca ad alias res transtulit. talia sunt: florere: Phaed. 436 *domus florens*, HF. 305, [HO. 1780]; serere: Phaed. 494 *scelera sata*,[4]) Phoen. 279 *iacta sunt semina cladis.* Med. 26, ubi legitur *querellas verbaque in cassum sero*, verbum serendi huc pertinere mihi videtur, contra aliis locis, quibus 'verba serere' et similia legimus, alterum serendi verbum, quod nectere significat, extare certum est. quibus adde haec verba: carpere: Phaed. 1078 *carpens spatia* i. e. percurrens,[5]) HF. 874 *vitam hora carpit* i. e. consumit,[6]) Phaed. 476, Oed. 113; demetere: Ag. 987 *ferro caput*; recidere et excidere: Tr. 1128 *stirpem recidi*, HF. 1035 *excisa est domus.*

Translationes verborum ab igne et aqua petitas, cum longe frequentissimae sint, apud Senecam plurimas nobis occurrere per se elucet. metaphoram substantivorum pertractantes varios animi motus velut amorem et iram cum igne comparari vidimus. talia substantiva cum verbis,

[1]) Cf. Phaed. 255 *mentis effrenae impetus.*
[2]) Cf. Lucan. V 729 sq. *stare sub ictu fortunae.*
[3]) Cf. Ovid. Art. I 270, ubi blanditiae *plagae* nominantur.
[4]) Cf. Verg. Aen. VII 339 *sere crimina belli.*
[5]) Cf. Verg. Aen. VI 629 *carpe viam.*
[6]) Cf. Catull. 68, 35 *illic mea carpitur aetas.*

quae huic respondent imagini eamque continuant, coniungi solent, quare multi loci p. 10 citati huc quoque pertinent. quibus exceptis omnia exempla, quae talem verbi translationem continent, infra adposui,[1]) accuratius autem nisi rariora quaedam non pertractabo. proprium Senecae est excoquendi verbum ita translatum, quod legimus HF. 105 *acrior mentem excoquat* (*ignis*), cum alii poetae verbo simplici quod nominatur utantur, veluti Verg. Aen. VII 345. sitim quoque eiusmodi translationibus poetae et scriptores illustrare solent.[2]) cuius rei Seneca haec praebet exempla: Ag. 19 *exustus siti*, Thy. 98 *flagrat incensum siti cor*, 170 sq. *qua* (siti) *cum percaluit sanguis et igneis exarsit facibus.* multo rarius verba ab igne tracta ad famem transferuntur, cuius usus exempla inveni Thy. 165 (*poma*) *accendunt famem* et apud Quintilianum, qui Decl. 12, 8 famem igneam adpellat ac mox c. 9 urentem fingit. haud minus frequentes quam eae quas modo pertractavimus sunt translationes verborum, quae comparatione cum aqua nituntur. ita animus variis adfectibus agitatus cum mari fluctuanti comparatur, veluti Med. 390 *aestuat* (Medea) et v. 943 eadem a liberorum caede abhorrens, ut dubitationem suam illustret, dicit *cor fluctuatur* imagine maris ventis perturbati praemissa. idem verbum fluctuandi translatum repetitur Tr. 657 et Ag. 109. utramque translationem vel in prosa oratione invenias. ut animi adfectus largius erumpentes designet, Seneca verbo exundandi quoque utitur, quod in latinitate aurea non invenitur; cf. Oed. 924 *mersus alte magnus exundat dolor* et Med. 392 *ubi se iste fluctus franget? exundat furor.* quem secutus Statius similem praebet imaginem Theb. X 609 *exundanti permisit verba furori* et v. 166 *exundant stimuli* i. e. furores a deo incitati.[3]) adfectus animi mergi propria est Senecae locutio (cf. Oed. 798 *mersus timor*, 924 *mersus dolor*), quae apud Statium quoque invenitur Silv. V 1, 201 *mersumque in corde dolorem saevus alit.* cetera quae huc pertinent exempla, cum nihil quod memorabile sit praebeant, infra invenies congesta.[4]) id tantum hoc loco adnotem verbum influendi,

---

[1]) De amore Phaed. 641 *pectus amor torret* (item Ovid. Am. III 2, 40), Ag. 189 *amore incensus*, de furore et ira Phaed. 486 *non illum avarae mentis inflammat furor*, Thy. 253 *ardet furore pectus*, coll. Tr. 280, Med. 582, HO. 435 *dum fervet manus*, HF. 946 *ira totus fervet* (cf. Med. 410), de odio Med. 952 *fervet odium*, de dolore Med. 672 *semet dolor accendit*, Phoen. 352 *fervet dolor*, de curis Ag. 665 *exurunt quos secretae lacerant curae*, Med. 547 *perusti pectoris curis*, ad quem locum conferas Martialis simillimum XII 49, 9 *cor meum perurunt*, de cupiditate gloriae HO. 620 *urit gloria pectus*, cf. Cic. Fam. XIII 15 *hominem perustum gloria volunt incendere*; HF. 1240 *extinctus pudor*.

[2]) Curt. IIII 16, 12, VII 5, 3, Hor. Sat. I 2, 114, Ovid. Fast. IIII 299 al.

[3]) De fumo et similibus rebus saepius hoc verbum usurpatur in latinitate argentea, cf. HF. 911, Phaed. 103, [HO. 1751]; addas Sil. It. II 631, Stat. Theb. XII 431. undare in eadem re dictum invenimus Sen. Tr. 20, ad quod conferas Verg. Aen. II 609, XII 673.

[4]) Fluere Thy. 397 *aetas per tacitum fluat*, Phaed. 451 *optimos vitae dies effluere prohibe* (cf. Thy. 36 *fluctuque regnum casus assiduo ferat*), Thy. 537 *effluant*

quod legimus translatum Thy. 536 (*influentis fortunae*), Senecae proprium esse nec solum in tragoediis, sed etiam Epist. L 5 inveniri, quo loco *illud desperandum est* inquit *posse nobis tantum bonum influere.* ceteri veluti Liv. III 26, 7 verbo adfluendi in hac re utuntur. ex verbis a reliquis naturae viribus petitis, quae sunt tumere [1]) flare tonare, primum verbi loco altero commemorati singularem usum breviter perstringam. dicit enim Seneca HF. 183 *gens hominum flatur rapidis obvia fatis.* nusquam certe alio loco verbum flandi hac translata significatione positum nobis occurrit, nihil tamen in hoc tropo quod mirum sit inest, cum saepius fatum vel fortunam cum procella comparari substantivorum metaphoras pertractantes viderimus. deinde adnotem ad Phaed. 1007, ubi legimus *subito vastum tonuit ex alto mare,* verbi tonandi translationem ex Graeco exemplari fluxisse. Euripides enim Hipp. 1201 sq. fragorem, qui Hippolyti equos terruit, cum tonitru comparavit *ἔνθεν τις ἠχὼ χθόνιος ὥς βροντὴ βαρὺν βρόμον μεθῆκε φρικώδη κλύειν.* adde Tr. 174 *nemus fragore vasto tonuit* et imaginem, qua aeris serenitas post tempestatem significatur, Ag. 521 *tuum numen serena.*

4. Verba, quibus motus aliquis significatur.

Verbi currendi translatio ita pervulgata est, ut exempla apud Senecam extantia breviter collegisse sufficiat. itaque currere dicuntur dies et sidera Phaed. 333, Oed. 219, 504, Thy. 699,[2]) flamma Phaed. 644 (cf. 738), aqua HF. 288, 1328, Phaed. 6, HO. 85, 629, [780], caput abscisum Thy. 729, non minus substantiva a sensibus sevocata currentia finguntur, veluti vita Oed. 891 *me media vehat vita decurrens via* (cf. HF. 178,

---

(*dona*); Phaed. 205 *fluitque luxu*; Tr. 84 *per colla fluant capilli*, Ag. 895 *fluentes sinus.* — fundere eiusque composita de capillis Tr. 468, Ag. 314, infundere Oed. 499, perfundere Phaed. 394, 802, effundere HF. 472, Oed. 403, 416; de igne vel lumine HF. 1058, Med. 793, Oed. 311 (cf. *fundere umbras* Oed. 155), infundere Phaed. 154, suffundere [HO. 1405 *igne suffuso genae*]; *perfundere nube caput* Oed. 1000, cf. 553, animam effundere Phoen. 142, verba Med. 554, Thy. 905, modos carmina Ag. 584, [HO. 1080], convicia Med. 113; de hominibus: *adfusus* Phoen. 475, Oed. 71, Tr. 1076, *effusa turba* Ag. 253, *vates corpus effusa* 786, *infusos artus* Med. 946. — haurire (auribus) Oed. 385, Ag. 31; i. q. consumere Phaed. 695, Ag. 414, (exhaurire eadem significatione Phaed. 470, Ag. 702); *pectore ex imo impetus* Med. 904, *nefas* (amorem) Phaed. 1193. — mergi ii dicuntur qui inferos in terrae ventre conditos adeunt. cuius imaginis Seneca aliquot exhibet exempla: HF. 422, Tr. 198, Phaed. 1203, cf. HF. 276, 279, 317. — spargere Ag. 465 *nox prima caelum sparserat stellis*, ubi Seneca imitatus est Ovid. Met. XI 309 *nox caelum sparserat astris*, HF. 20 *tellus sparsa nuribus*; de igne vel luce HF. 135 *aspersa die dumeta rubent.* saepius poetae verbum simplex ad lucem transferunt; cf. *nemus spargens umbras* Ag. 94. cetera ommittantur.

[1]) Tumere iratus aut superbus animus dicitur HF. 68, Tr. 1096, Phoen. 352, Thy. 268, 737; Ag. 958 *corde tumefacto.*

[2]) Cf. [HO. 1363]; HF. 928 sq., 1332 sq., Phaed. 676 sq. *cursus agere* de astris.

Phaed. 446), forma HO. 385 (cf. Med. 860 *vagante forma*), mens HF. 1081 *mens repetat pristina cursum.* serpere dicuntur amnis HO. 589, flamma vel ignis Med. 819, Oed. 312, coll. Tr. 1054, via Oed. 284; somnus genis obrepere fingitur Tr. 441; cf. Verg. Aen. II 269. furorem mentem pervagari legimus Ag. 775. similiter Cicero dixerat de legg. I 32 *molestiae laetitiae cupiditates timores similiter omnium mentes pervagantur.* verbum intrandi, quod proprie de hominibus dici solet, ad alias res transfertur HO. 538 (*virus*) *intret medullas* (cf. Verg. Aen. VIII 389) atque adeo res quae cogitationi tantum subiectae sunt hac imagine tamquam animantur, cf. Ag. 285 *non intrat regium limen fides,* Thy. 451 *scelera non intrant casas,* HO. 610 sqq. *cum magnae patuere fores, intrant fraudes cautique doli ferrumque latens.* rerum inanimarum vagus motus verbo errandi illustrari solet.[1]) variavit aliquantulum hanc significationem Seneca, cum Phaed. 1257 membra dilacerati Hippolyti, quae ordine incerto in feretro iacent, errantia dixit. *disiecta, genitor,* ita hortatur chorus Theseum, *membra laceri corporis in ordinem dispone et errantes loco restitue partes.* ubicumque hoc verbum legitur, motus auditur, quod in hunc locum non cadit. proxime accedit illud Statii Theb. V 604 *errantes per capta cubilia plumae,* quae in nido dispersae cogitantur, postquam serpens pullos devoravit. attamen vel hoc loco plumae auris motae intellegi possunt. spes et similia inter homines errare Seneca dicit HF. 163 *spes immanes urbibus errant trepidique metus,* quocum loco conferas Lucan. II 20 sq. *magnusque per omnis erravit sine voce dolor.* in corpore terrorem oberrare Seneca dicit Thy. 966 *vagus intra terror oberrat.*[2]) accedunt duo loci inter se simillimi, quibus respondentes apud ceteros poetas non inveni: HF. 1193 *quid hoc? manus refugit — hic errat scelus,* i. e. hic scelus versatur, in mea manu haeret et Thy. 473 *rogat? timendum est. errat hic aliquis dolus* i. e. versatur, latet. Maenandrum, qui curvato alveo modo huc modo illuc fluat, ludere dicunt poetae, velut Ovid. Met. II 246 et VIII 163, item Seneca HF. 684 *incertis vagus Maeander undis ludit.* omnino hoc verbum de motu saepius repetito usurpatur, cf. Ag. 770 *ad ora ludentes aquas* et Thy. 592 *ludenti cumbae.*[3]) verbum fugiendi[4]) ad res inanimas translatum tam

---

[1]) Praecipue aquam errantem fingunt poetae, cf. Verg. Georg. III 14 et Sen. Phoen. 606, Oed. 284.

[2]) Claudiani verba in Rufin. II 93 sq. *oberrat intra tecta timor* cum hoc loco congruunt.

[3]) Verbo proludendi translato Seneca usus est Tr. 182 *proludens fatis,* Phaed. 1061 *prolusit irae,* Med. 907 *prolusit dolor*; cf. Epist. CII 23 *per has mortalis aevi moras illi meliori vitae longiorique proluditur.*

[4]) Verbi activi fugandi haec habes translationis exempla: Thy. 460 *mare fugamus mole,* idem fere HO. 82, HF. 640 *flebilem ex oculis fuga vultum,* Med. 859 *pallor fugat ruborem,* coll. HO. 252, Med. 943 *ira pietatem fugat.*

saepe nobis occurrit, ut de tropo iam non cogitatum esse adpareat, rarius transfertur terga dare, quam locutionem legimus et Ovid. Met. XIIII 143 *felicior aetas terga dedit* et Ag. 228 *quid terga vertis, anime?* surgere quoque dicere solet Seneca de animo eiusque adfectibus: Tr. 1022 *surgent animi iacentes,* Ag. 868 *anime, consurge,*[1]) HF. 1157 *exurge, virtus,* Thy. 944 *surgens dolor,* Med. 49 *gravior exurgat dolor,* [HO. 1792 ex Leonis coniectura]. Med. 902 legimus *incumbe in iras* (anime). hoc verbum vi elaborandi in aliqua re usurpari solet. 'in iras incumbere' singularis est locutio. aptissime hoc loco de verbo incubandi exponam, quamquam motum sane non significat. Senecae propria est dictio adfectus animo incubare, quam duobus locis legimus Phaed. 99 *incubat maestae dolor* et 268 *incubat menti furor.* mortem alicui incubare Seneca Thy. 401 eodem modo dicit ac Vergilius Aen. I 89 *ponto nox incubat atra*; nam mors tamquam perpetua nox est. prope autem accedit ad Senecae locum Stat. Theb. X 302 sq. *tali miseris deus aliger umbra incubat.* labi et cadere saepissime in rebus incorporeis dici satis notum est, quam ob rem locos qui huc pertinent breviter infra perstringam.[2]) ad verbum excidendi id habeo quod adnotem. Phaed. 590 Thesei uxor, quam animo relictam submissamque genu Hippolytus exceperat, animam et miseriarum suarum memoriam sibi redire querens dicit: *quam bene excideram mihi,* i. e. quam bene mens me reliquerat. absolute Ovidius hoc verbum posuit Art. I 539 *excidit illa metu,* 'excidere sibi' apud Senecam solum et loco citato et in libro qui inscribitur de ira III 14, 1 invenitur. haec verba omnia subiectum secum habent, quod propriae significationi non convenit. adiungo verba cum obiecto ab eorum vi propria alieno coniuncta: descendere transcendere metiri, quae proprie usurpata obiectum quod locum significet flagitant. Phaed. 669 legimus *descendi ad preces*; idem fere Vergilius dixerat Aen. V 782 *preces descendere in omnis,* cf. Hor. C. III 29, 58 sq. *ad miseras preces decurrere.* transcendere vi superandi nusquam in aurea, saepe in argentea latinitate nobis occurrit. ita legimus apud Senecam Tr. 213 *transcendere annos,* 702 *aetate avum transcendat,* Thy. 912 *vota transcendi mea* et apud Silium Italicum I 226 *florentes annos viribus tr.,* IIII 428 *annos factis,* III 607 *facta tuorum* et apud Statium Silv. I 4, 125 sq. *tu Troica*

---

[1]) Cf. Ovid. ex Pont. III 3, 31 *Maeonio consurgere carmine.*

[2]) *Lapsae res* dicuntur HF. 646, Thy. 616, 658, *lapsi,* qui sunt infelices, Tr. 696, *lapsa domus* HF. 1250, de mente ac memoria positum habes Tr. 950 *labefacta mens succubuit,* Oed. 818 *memoria longo lassa sublabens situ.* — cadere legitur HF. 201 *alte virtus animosa cadit,* Tr. 951 *cadentem firma spiritum,* Med. 989 *cecidit ira,* Thy. 573 *minae saevi cecidere ferri,* 588 *ventis cecidere vires,* 1066 *cecidit in cassum dolor,* [HO. 1686 *cecidit impulsus dolor*]; excidere Med. 561 *excidimus tibi,* i. e. mei oblitus es, cf. 562, HO. 367, [1332]; Thy. 511 *animis odia damnata excidant,* [HO. 1446 *quam bene excideras, dolor*]; HO. 357.

dignus saecula et Euboici transcendere pulveris annos, V 3, 255 *Pylias aevi transcendere metas.* metiri et composita in aurea latinitate de loci spatio usurpantur,[1]) raro de tempore. unum exemplum huius usus inveni in Lygdami eleg. III 9 *permenso tempore lucis.* apud posteriores saepius haec translatio invenitur, in Senecae tragoediis duobus locis, Oed. 740 *aetatem permensa* et H F. 742 *permensus aevi spatia.* singulariter Med. 611 dixit ille *emensus labores*; attamen aliquid de insolentia huius tropi detrahitur, cum hoc loco de periculosa via Argonautarum agatur. simile legimus apud Sil. It. IV 53 sq. *duces pelagi terraeque laborem diversum emensos.*[2])

5. Verba, quibus aliqua actio significatur.

Hoc loco commemoro verba: eradere tondere similia. Thy. 520 Seneca dicit: *ex animo tumor erasus abeat.* verbum eradendi iam aureae latinitatis poetae ad animum transtulerant. ita legimus Hor. C. III 24, 51 sq. *eradenda cupidinis pravi sunt elementa* et Phaedr. prol. l. III 21 *curam habendi penitus corde eraserim.* idem verbum invenitur in Senecae Epist. I 11, 6 *vitia eradere.* tonderi plantas poetae dicunt, sive falce metuntur,[3]) sive morsu animalium carpuntur, qui verbi usus cohaeret cum illa imagine, qua folia arborum herbarumque cum hominum comis comparantur, sed de aliis etiam rebus, quae depascuntur, usurpatum verbum tondendi legimus. ita apud Vergilium Aen. VI 597 sqq. *rostroque immanis vultur obunco immortale iecur tondens fecundaque poenis viscera,* quo loco poeta illud Homeri Od. XI 578 *γῦπε ἧπαρ ἔκειρον* imitatus esse videtur. Vergilii locum sine dubio ante oculos habuerunt Seneca Ag. 18 *ubi tondet ales avida fecundum iecur* et postea Sil. It. XIII 839 *tondetur praecordia rostro alitis.* amputari dicuntur aut homines, qui e re publica removentur, velut si a medico aegrota membra de corpore humano abscidantur, aut res, quae imminuuntur.[4]) Med. 530 legimus *longa colloquia amputa* i. e. restringe, quo loco excepto huius verbi translata significatio in poetarum oratione non invenitur. eiusdem tragoediae v. 650 dicit poeta *perarate pontum* imagine ab agro, qui aratur, petita. hoc verbo composito Seneca solus translato usus est, apud ceteros frequentatur verbum simplex arandi; cf. Verg. Aen. II 780 *vastum maris aequor*

---

[1]) Translata dico significatione percurrendi, cf. emetior Verg. Aen. V 628, VII 160, XI 244, Georg. I 450, permetior Aen. III 157, remetior II 181, III 143, atque ita apud Senecam H F. 393 *regna permensus,* Phaed. 940 *longinqua . . . emetiemur,* [H O. 1477]; metari eadem significatione legimus Phaed. 506 et Sil. It. VI 58.

[2]) In Statii versibus Silv. IIII 4, 88 sq. *iam Sidonios emensa labores Thebais optato collegit carbasa portu* adfinitas quaedam cum Senecae loco inesse videtur.

[3]) Cf. Verg. Georg. I 290, Paneg. Messall. 172, Sen. Phoen. 130.

[4]) Cf. Cic. Phil. VIII 15, Tac. Hist. II 69 *numerum amputare.*

arandum, Ovid. Trist. I 2, 76, III 12, 36 al. Tro. 959 sq. legimus *in tot oscula et tantum gregem dividere matrem.* verbo dividendi in uno homine, qui compluria simul munera exequitur, Statius quoque usus est Theb. II 588 *et partes pariter divisus in omnes*, saepius hoc verbum de animo, qui dubitando quasi in diversas partes distrahitur, dictum nobis occurrit.[1])

Veniamus ad verba feriendi.[2]) feriri animum adfectu locutio est latinitatis argenteae propria, qua Seneca quoque usus est Phaed. 293 (Cupido) *virginum ignoto ferit igne pectus* et Tr. 1153 *tam fortis animus omnium mentes ferit* i. e. efficit, ut mentes admiratione stupeant. similia exempla habes Stat. Theb. III 423 et Valer. Flacc. VII 378. eodem modo pulsare animum adfectus dicuntur Ag. 134 *invidia pulsat pectus*, [HO. 1403 *impulsans dolor*], cf. Verg. Aen. V 138. excutere significat inquirere, examinare apud Ciceronem Curtium Quintilianum, Seneca hoc verbum singulariter cum obiecto personali coniunctum in poeticam orationem recepit HF. 580 *excutiunt reos* (iudices inferorum). calcare, quod est pede ferire, saepissime a Livio (cf. XXXIIII 2, 1) aliisque pro contemnendo usurpatur itemque a Seneca Med. 253 *superbo miserias calcem pede* et HO. 637 *calcet ut omnes.* idem pari significatione verbo proculcandi usus est Phoen. 193 *fata proculcavit*, quod tantum in latinitatis argenteae prosa oratione ita usurpatum inveni; cf. Suet. Vesp. 5. sententia vero ipsa ex Ovid. Trist. V 8, 10 sumpta est, ubi legimus *imposito calcas mea fata pede.* vapulare, quod verbum est vulgaris sermonis, proprie nisi de homine, qui baculo aut loris verberatur, non dicitur. Seneca, quem identidem locutiones prosae orationis proprias tragoediis inseruisse vidimus, hoc verbum ad turrim transfert, quae venti impetum ac vim excipit, Ag. 93 *turris pluvio vapulat Austro.* simile quid habes Quaest. nat. VI 7, 6 *multa quae procul a mari fuerant subito eius accessu vapulaverunt.* de verbis flectere volvere al. infra quaedam adnotabo.[3]) hoc loco tantum dicam locutionem *somnia volu-*

[1]) Cf. Verg. Aen. IIII 285, (VIII 20), ad quos locos conferendum est illud Homeri Il. XIIII 20 *δαϊζόμενος κατὰ θυμόν.* tamquam usitatissimam imaginem hic adfero Tr. 834 *ingentes acuebat iras*, Phaed. 1059 *se acuit atque iras parat.*

[2]) Multa quae huc pertinent cottidiani plane sermonis sunt neque fere digna quae commemorentur, veluti Phaed. 1125 *levius ferit leviora deus*, Thy. 239 *imperi quassa est fides*, Oed. 833 *concutere felicem statum*, 793 *paterna regna discutient metum*, [HO. 1417 *abeat excussus dolor*] al.

[3]) *Flectere carmen* legitur Ag. 335, volvere Tr. 387 *saecula*, Med. 402 *certas mundus evolvet vices*; Thy. 419 *in metus revolvor* (cf. Ovid. Met. X 335 *quid in ista revolor?*); Oed. 923 *volvit minas*, cf. 561, Oed. 764 *curas revolvit animus* (cf. Lucr. VI 34 *volvere curarum tristis in pectore fluctus*), Med. 466 *revolvat animus* i. q. reminiscatur, Ag. 164; versare Ag. 126 *quid tacita versas* i. q. tecum reputas, Med. 393 *secum versat scelus*, torquere Thy. 424 *consilium torques*; i. q. vexare Phaed. 442 *se ipse torquet*, Ag. 51 *ipse temet torques*, 420 *dubia plus torquent mala*, [HO. 1170, 1276]; cf. HF. 111 *me versate* (Furiae) et Ag. 131 *maiora cruciant.*

tandi HF. 1083 Senecae propriam esse eundemque solum res humanas fato rotari finxisse compluribus tragoediarum locis: Phaed. 1123 *quanti casus humana rotant*, Ag. 72 *casus Fortuna rotat*, Thy. 618 *rotat omne fatum*, HO. 703 *quae te rursus fortuna rotat?* [715 *quis te casus rotat?*]. idem fere Quaest. nat. II 35, 2 legimus: *sic ordinem fati rerum aeterna series rotat.*[1]) addam pauca de verbis vinciendi alligandi similibus. usitatae sunt locutiones veluti *devinctus pudor* Ag. 137, *amore vinctus* Phoen. 39. somnus vel torpor, qui homines libero membrorum usu privat, corpus alligare dicitur HF. 1079 sq. (Somne) *preme devinctum torpore gravi; sopor indomitos alliget artus* et Oed. 182 *piger ignavos alligat artus languor*, quibuscum locis quodammodo comparari potest Pacuv. Atal. fr. 11 R. *vultum alligat quae tristities. fidem alligare* Tr. 611, Thy. 972 vel *astringere* Med. 145, Oed. 804 iuris scientiae sollemnis erat locutio. Med. 145, ubi legimus *arto pignore astrictam fidem dirimit*, adiectivum 'artus', quod ad vinculum pertinet, cuius vice pignus fungitur, eleganter cum hoc substantivo coniungitur. pignus artum vinculum fuit, quo fides astricta est; cf. Cic. de off. III 111, ubi nullum vinculum ad astringendam fidem iure iurando artius esse dicitur. Senecae propria est dictio Thy. 161 *famem alligari* a Tantalo, qui dentibus collisis eam supprimere studeat, et HF. 710 *locum spissa caligine alligari.* idem solus verbum redimiendi — proprie dicitur 'caput corona aut mitra redimire, pocula sertis' similia — elegantissime ad mare transtulit, quo insula cingitur, Oed. 488 *Naxos redimita ponto*, cuius rei exempla ei praebere potuerunt et Graeci, qui sine dubio verbo *στεφανοῦν* eodem sensu uti solebant, veluti Quint. Smyrn. V 99 *πάντα δ' ἄρ' ἐστεφάνωτο βαθὺς ῥόος 'Ωκεανοῖο* (conferas etiam Theocritum, qui Id. XVII 67 Delum *κυανάμπυκα* adpellat), et verbum coronandi ita adhibitum ab Ovidio Met. V 388 *silva coronat aquas.* Phaed. 409 sqq. nutrix Hecaten precatur, ut animum Hippolyti castum rigidumque mitiget atque amore imbuat: *innecte mentem*, inquit (v. 416 sq.) *torvus aversus ferox in iura Veneris redeat.* 'mentem innectere', quod est amoris tamquam laqueis captare, singularis est elocutio, quae ex Senecae officina prodiisse videtur. contra 'dolos nectere' (Sen. Tr. 928, Phoen. 120, Tr. 523 *astus callidos*) usu pervulgatum est. 'verba nectere', quocum usitatius illud 'sermones serere' conferendum est, dictio est argenteae latinitatis poetarum propria; cf. Oed. 92 *Sphinga caecis verba nectentem modis* et Stat. Theb. VIII 636 *talia nectebant.* item 'moras nectere' argenteae est latinitatis. extat haec locutio HO. 10 et de ira III 39, apud Valerium Flaccum III 374 sq. et Tacitum Ann. XII 14. Med. 281 etiam *moras serere* legimus, quod verbum cum mora coniunctum alio loco non invenitur. Phaed. 9 sq. *nemus alta texitur alno*

[1]) Cf. Thy. 621 sq. *res deus nostras celeri citatas turbine versat.*

poeta perbene silvam cum textilibus comparat, ad quem locum proxime accedit Theocr. Id. VII 8 *αἴγειροι πτελέαι τε εὔσκιον ἄλσος ὕφαινον.* eadem imago subest Martialis locutioni *textilis umbra* XII 31, 1; alio loco texendi verbum de silva usurpatum non extat.[1]) sequantur verba scribendi pingendi similia. HF. 190 dies morti alicuius praestitutus *scriptus dies* nominatur, id quod Senecae proprium est, cum neque poetae neque scriptores verbo simplici hac translata significatione utantur. neque id quod legitur Med. 320 *leges scribere ventis* eodem modo dictum ullo loco invenias. ut in scribendi ita in transcribendi verbo Seneca usitatam rationem aliquantulum excessit. hoc verbum significat primum 'rem aliquam per iuris formulas alicui in possessionem dare', translate autem omnino transferre, deinde etiam est 'aliquem in alium statum vel ordinem transferre' et praecipue de colonis dicitur, qui in alium locum deducuntur (cf. Verg. Aen. V 750), quam significationem translatam Seneca admisit solus et in tragoediis (Thy. 13 *in quod malum transcribor*) et in Epistulis (I 4, 2 *cum te in viros philosophia transcripserit*). certe quodsi alia argumenta deessent, vel tales singulares locutiones, quae tragoediis cum libris pedestribus communes sunt, vetustam illam fabulam nunc prorsus reiectam tragicum et philosophum homines diversos fuisse irritam facere possunt. caelum stellis pictum esse, quod legimus Med. 310 (*stellis*) *pingitur aether* et Thy. 834 *vaga picti sidera mundi* imago est a Seneca adhibita quatenus nos colligere possumus primo neque inepte ea excogitata videtur, cum caelum caeruleum innumeris stellis refertum re vera speciem straguli auro intexti praeferat; conferri potest Ovid. Fast. IIII 430, quo loco humus variis floribus ornata 'picta' inducitur.[2])

Iam addo verba, quae aliquo certe modo ad locum pertinent, veluti obsidere gravare premere obruere alia. Seneca mentem adfectibus occupatam obsessam adpellat Ag. 136 *inter istas mentis obsessae*

[1]) Cf. etiam Stat. Theb. V 184 sq. *plaga caeca superne texitur* (nubem dicit). poetae latinitatis aureae verbo texendi translata significatione non utuntur nisi ita ut res hominum manibus compositae significentur. ita dicitur de nave, veluti Verg. Aen. XI 326; cf. sollemne illud 'pinea texta' Catull. 64, 10, Ovid. Met. XIIII 530 sq., Trist. I 4, 9, Fast. I 506; de trabibus, quibus equus Troianus constructus erat, Verg. Aen. II 186 *robora texta*; de labyrintho V 589 *iter textum parietibus caecis.* verbum subtexendi uno loco excepto (Iuv. VII 192) translatam solum vim habet, cf. Phoen. 422, Phaed. 956.

[2]) Verba similia, veluti maculare contaminare alia, tam saepe translata apud omnes scriptores leguntur, ut qui huc pertinent locos ex Senecae tragoediis depromptos breviter adnotasse sufficiat: Tr. 1004 *maculate superos*, 1005 *manes*, Phoen. 344 *maculatos lares*, 620 *regna maculata*, Phaed. 252 *haud te, fama, maculari sinam*, Ag. 28 *Fortuna maculavit patrem*, Phaed. 690 *se stupro contaminavit*, HF. 1261 *polluto animo mederi*, [HO. 816 *facta inquinentur*, 1454 *laudibus maculam imprimam*], Phaed. 893 *labem hanc pudoris eluet cruor*, Thy. 512 *diluere cuncta*, Med. 269 *purga regna.*

faces, cui usui Petronius Sat. 99 se adiecit dicens (*ira*) *mentes obsidet.* eodem modo res, de qua cogitatur, animum obsidere dicitur, cf. Phaed. 560 (femina) *obsedit animos* et Iustin. XXXXII 4, 15 *paelices animum senis obsidebant.* denique Tr. 989 Hecuba se *cladibus obsessam* dicit; undique enim mala in eam tamquam corruerant. similiter legimus HF. 1112 *pectora tantis obsessa malis.* verbum possidendi translatum usitatissimum esse nemo nescit; Senecae conferas velim haec exempla: Ag. 711 *pallor genas possidet* et HF. 282 *quidquid atra nocte possessum latet*, quocum loco congruit Mart. VI 76, 6 *possidet umbra nemus.* vallare, quod proprie est vallo munire, saepius ita ut eandem vim habeat quam circumdare ponitur, veluti Lucr. V 27 *hydra venenatis vallata colubris*, cui loco est simillimus HF. 984 sq. *Tisiphone caput serpentibus vallata.* in Herculis quoque Oetaei parte posteriore duobus locis hoc verbum legimus, v. 1935 *vallantque ferae tempora dentes* i. q. pellis leonis et v. 1194, ubi Hercules se pugnantem cum hydra anguibus vallatum fuisse dicit.[1])

Ultimo loco quaedam verba adiungere mihi liceat, quae ad ea quae protulimus genera referri non possunt. ingerere alicui aliquid saepius dicitur eadem vi, qua aliquem aliqua re adficere, veluti Liv. II 45, 10 *i. probra.* ita Seneca quoque dixit Med. 236 *flagitia ingere*, 461 *i. supplicia*, 132 *funus ingestum patri*; ita tamen ut idem sit quod addere hoc verbum solus quod sciam Seneca adhibuit Thy. 731 *scelus sceleri ingerit.* Phoen. 174 sqq. idem de Oedipode oculos sibi effodiente haec dixit: *timida tunc parvo caput* (dextra) *libavit haustu vixque cupientes sequi eduxit oculos*; tamquam libatio enim glandes elisae cum sanguine permixtae in terram effluunt. simile quid praebet Ovidius, qui lacrimas cum libatione mortuo amico oblata comparat ex Pont. I 9, 41 sq. *iure igitur lacrimas Celso libamus adempto, cum fugerem, vivo quas dedit ille mihi.*

[1]) Ceterorum verborum quae huc pertinent translationes in sermone Latino frequentissimae sunt neque tam orationis ornandae causa eas admittebant scriptores et poetae quam necessitate quadam coacti. quare hoc loco exempla e Seneca petita breviter enumerabo. tegere Tr. 272 *vano fulgore tectum nomen*, 933 *quidquid subdolo vultu tegis*, Phaed. 858 *perplexa magnum verba nescio quid tegunt* al., condere Tr. 580 *pectore imo condita arcana*, velare Phaed. 721 *scelere velandum est scelus*, infigere Ag. 723 *flammas pectori infixas*, similiter Thy. 97, HO. 451, obruere Ag. 151 *scelus scelere obruit*, Tr. 416 et [HO. 757] *obruta* (malis), cf. HF. 1182 et Med. 207, Phaed. 775 *tempus te tacitum subruit* al., gravare HF. 628 *domum clades gravat*, Phaed. 859 *gravet mentem dolor*, Ag. 49 *pudor vultus gravat*, premere Phaed. 520 *somnus membra*, HF. 436, Ag. 493 *tenebrae*, Med. 159 et 242 *fortuna*, HF. 352 *invidia ac sermo popularis*, Phaed. 950 *mala*, cf. 1203, Thy. 929 *strage malorum pressum*, Tr. 1061 *clades*, Med. 462 *ira regalis*, HF. 736 *suo premitur exemplo nocens*, Oed. 798 *mentem timor*, Tr. 595 *quos premis luctus, dolor*, fundare HF. 346 *vires*, fulcire Tr. 127 *umeris tuis stetit illa decem fulta per annos*, Phaed. 214 *regno fulti*, relevare HF. 856 *igne praelato relevare noctem*; cf. luctum famem sitim morbum relevare.

verbum litandi translatum legitur Ag. 577 *postquam litatum est Ilio* (cf. Cic. pro Flacc. 96); singulariter significatione destinandi, devovendi Med. 1020 *plura quae tibi* (dolori) *litarem.* aetatis Augusteae poetae nonnullis locis res, quae aliam rem in se continent, tamquam custodientes eam inducunt. ita Hor. C. III 26, 5 sq. dixit (*paries*), *qui Veneris latus custodit* et Catull. 64, 319 *vellera virgati custodibant calathisci.* Seneca adeo rei, quae mente sola intellegitur, custodientis munus imponit Oed. 704 *regna custodit metus. verba clauso ore custodire*, quod legimus Ag. 718 sq., singularis plane est locutio. restat ut dictionem Senecae propriam commemorem sinum subducere, quod idem est ac recusare, Thy. 430 sq. *cur bonis tantis sinum subducis?* similes locos adferre licet ex libris Senecae prosa oratione conscriptis, Epist. CXVIIII 1 *sinum laxa, merum lucrum est* et de vita beata 23, 5 *quid expeditis sinum?*

B. De metonymia.

Metonymia est tropus, quo nomina, quae ratione causali vel simili quadam adfinitate coniuncta sunt, inter se permutantur, id quod ex Ciceronis verbis, quae leguntur in libro qui orator inscribitur s. 92 sq., colligere licet: 'mutata (verba ea dico), in quibus pro verbo proprio subicitur aliud, quod idem significet, sumptum ex re aliqua consequenti; ... hanc ... μετωνυμίαν grammatici vocant, quod nomina transferuntur.'

Metonymiae exempla, quae in Senecae tragoediis leguntur, pertractaturus primo loco huius tropi id genus ponam, quo nomina ratione causali conexa — dico res efficientes et effectas – inter se commutantur, et cum plurimis locis accidat, ut res efficiens aut effecta, quae sensui subiecta est, cum effecta aut efficiente, quae mente sola intellegitur, commutetur, has utrique generi partes, quoad fieri poterit, subiungam.

Res efficiens ponitur pro re effecta. deus utpote alicuius rei auctor, sive ea sevocata est a sensibus sive iis subiecta, pro ea ipsa ponitur. cuius usus in oratione poetica pervulgati plurima in Senecae fabulis extare exempla facile intellegitur. veluti ponitur nomen dei pro furore ab eo incitato Oed. 231 *pati Phoebum* et Ag. 800 *dum excutiat deum* (Casandra), qui loci proxime accedunt ad eum qui extat Verg. Aen. VI 77 sqq. *at Phoebi nondum patiens immanis in antro bacchatur vates, magnum si pectore possit excussisse deum*; his adde Med. 383 *recepto deo,* Oed. 298, HO. 244. porro deus pro rebus ab ipso procreatis nominatur, veluti Ceres Bacchus Mars Venus lares penates. locos ad hos deos spectantes, qui in Senecae fabulis leguntur, infra habes subiectos.[1])

[1]) Ceres dicitur pro frumento HF. 697, Phoen. 219, 371, Phaed. 969, Oed. 49, uno loco pro cibo Phaed. 373; Bacchus pro vino HF. 697, Phaed. 445, Oed. 566, Ag. 886,

Res sensui subiectae eodem modo adhibentur. ita sol in oratione poetica diem significat notione noctis opposita, in prosa oratione tantummodo pluralis 'soles' pro diebus serenis, quibus sol fulget, admittitur. ita legimus Phoen. 516 *post multos soles*; uno loco (Tr. 374) Seneca 'soles' de hominum vita dicere ausus est. — Tr. 357 sq. legimus: (Calchas), *cuius ingenti mihi mercede constant ora*, quo effatum illud a Calchante editum significatur, Iphigeniam deae iratae immolandam esse, ut Graecis via in Asiam pateret. ceteri poetae 'os' tantummodo pro voce, lingua, ratione dicendi in universum magis dictum usurpant, nusquam de certo quodam dicto. quam rem ut demonstrarem, exempla quae in Vergilii et Ovidii carminibus leguntur collegi: vocem significat os Her. 7, 101 *noto ore*, Fast. I 474 *ore pleno*, Met. VIII 521 *ore supremo* (mit dem letzten Hauche seines Mundes), linguam Aen. II 423 *ora sono discordia*, XII 837 *faciamque omnis uno ore Latinos* i. e. una eademque lingua, rationem dicendi plurimis locis, veluti *placido ore* Aen. VII 194, Met. III 146 sq., VIII 703, XI 282, *blando ore* Met. XIII 555 (cf. Trist. V 1, 17), *ore favente* Trist. III 13, 18, ex Pont. II 5, 20, *magno ore* Aen. XII 692 (cf. ex Pont. IIII 16, 5 *magni oris* et Met. VIII 396 *magniloquo ore*), *veri oris* ex Pont. II 7, 23, *falsi oris* Met. X 19, *obscuri oris* (de Sphinge) Ib. 377. cum igitur, ut vel ex Vergilii et Ovidii exemplis cognosci potest, voce oris pro usu tantum vel ratione loquendi utantur poetae, nusquam pro certis alicuius verbis, statuendum est Senecam loco illo Tr. 357 sq. paullo longius processisse. — usitatissima metonymia est sanguis de genere vel origine hominis dictum,[1]) quam apud Senecam his locis inveni: HF. 309, Tr. 463, Oed. 203, 837, item semen[2]) pro liberis; cf. HF. 988 *Lyci nefandum semen*, Tr. 536 *in ortus semina exurgunt suos* de Astyanacte. adde manum eadem ratione, qua res efficiens pro effecta ponitur, pro auxilio fortitudine ultione aliis rebus usurpari, qui usus apud omnes fere poetas invenitur. plurima eius rei apud Senecam habes exempla, veluti HF. 818 *tunc et meas respexit Alcides manus* dicit Theseus, i. e. tunc meo auxilio ei opus fuit. cetera infra enumeravi.[3]) —

Thy. 65, 467, 701, 900, 915, 973, 983, 987, uno loco pro uvarum suco, Oed. 157 *plena suo vitis Baccho*; Mars pro bello, pugna Tr. 185, 783, Phoen. 626, 630, Phaed. 465, Oed. 275, 646, Ag. 921; Venus pro amore Tr. 304, Phaed. 211, 237, 339, 447, 462, 469, 721, Ag. 183, 275, 299, 927; lar (lares) pro domo HF. 197, 379, Phoen. 511, 594, Med. 21, 224, 478, Phaed. 863, Oed. 258, 672, 690, Ag. 6, 782, HO. 100, 245, 318, 359, [1492, 1800], eodem modo penates Phoen. 663, Med. 450, Phaed. 89, 209, Oed. 23, Ag. 396ª, Thy. 24, HO. 579.

1) In Verg. Aen. libris haec imago semel et vicies invenitur, cf. Braumueller p. 2 sq.

2) Cf. Verg. Georg. II 151 sq. *saeva leonum semina.*

3) Manus pro auxilio Med. 749 *vestras hic dies quaerit manus*, 969 *utere hac manu*, Thy. 243 *manus poscuntur meae*, [HO. 1291, 1328, 1533]; pro fortitudine ac vi

pro bello, quo armis decertatur, arma ipsa ponuntur vel ferrum tela gladius; cf. Tr. 591 *post arma tam longinqua*, 731 *Herculis arma*, Phoen. 296 *avidis armorum*, Ag. 79 *impia arma*, Phoen. 483 *causa qui ferri es prior*, Thy. 84 *ferri amorem*, 558 *opprimet ferrum* (*Pietas*); cf. HO. 612 *ferrum latens*. gladius, qua voce hac significatione instructa nusquam Vergilius utitur, saepius Ovidius,[1]) apud Senecam legitur Tr. 284 *gladius felix* et Phoen. 631 *exaequat duos gladius*. currus pro victoriis in stadio reportatis dictum habes Thy. 123, falcem pro messe Phoen. 371 *tertia iam falce decubuit Ceres*, quocum loco conferas Ovid. Fast. IIII 914 (*sata*) *dum fiant falcibus apta*. Parcarum colus pro fatis ponuntur HF. 559, [HO. 1084], cf. Stat. Theb. III 242 al., lyra pro cantu Ag. 334, singulariter chorda eadem significatione v. 338 *licet et chorda graviore sones*, ut Horatius dixerat C. III 3, 69 *iocosa lyra* (cf. I 6, 10) et Ovidius Am. II 18, 26 *Aeolia lyra*. — habenas pro cursu praeter Senecam Thy. 841 (*Luna*) *vincet sui fratris habenas* nemo quod sciam poetarum dixit. hoc loco simul alterum eiusmodi exemplum commemoro, frena pro auriga dictum Ag. 940, de quo postea erit disputandum; rotae pro cursu Phaed. 767.

Ut res efficientes anni tempora etiam poni solent pro rebus eis procreatis. ita autumnus pro fructibus, quod ex latinitatis aureae poetis Ovidius unus Graecum ὀπώρη eodem modo usurpatum imitatus uno loco exhibet Met. VIIII 91 sq. *incessit totumque tulit praedivite cornu autumnum et mensas, felicia poma, secundas*; inter posteriores nominandi sunt Seneca Thy. 168 *autumnus rapitur* et Martialis III 58, 7 *et multa flagrat testa senibus autumnis*, quod est vino vetere; idem ver pro floribus dixit VIIII 13, 2 *cum breve Cecropiae ver populantur apes*. vocem hiemis scriptores et poetae Senecam antecedentes non usurpant nisi de frigoribus procellisque hiemalibus, Seneca eam pro nive posuit Med. 708 *opertis hieme perpetua iugis*, ac similiter Stat. Theb. VIII 361 hac voce usus est.

Iam nos vertamus ad substantiva abstracta, quae actionem quandam significantia pro rebus hac actione effectis usurpantur. usitatissima nec fere digna quae in troporum numero habeantur sunt partus pro hominibus generatis, fetus pro pullis animalium vel plantarum fructibus, fletus pro lacrimis, caedes pro sanguine. quam ob rem qui huc spectant locos infra perstrinxi.[2]) uno loco Seneca substantivis necis

---

HF. 1260 (*amisi*) *manus*, cf. 882, Med. 977 *approba populo manum*, [HO. 1174 *dexterae testes*]; pro manu ultrice, ultione Phaed. 227 *experta saevam est barbara Antiope manum*, pro manu scelerata, sceleribus Med. 181 *nota est manus*, Ag. 23 *ob infandas manus*, Thy. 1096 *nunc meas laudo manus*, [HO. 951, 961].

[1]) Art. I 260, Her. 20, 37, Fast. II 517.

[2]) Partus HF. 494, Tr. 138, HO. 407, 408, [1349]; fetus i. q. pulli Tr. 1094, Oed. 905, Ag. 684, i. q. poma Thy. 156; raro de hominum liberis haec vox usurpatur, veluti

et leti pro sanguine utitur, HF. 1194 sq. *quid illa puerili madens harundo leto? tincta Lernaea est nece.* nex uno loco Ovidiano excepto Art. II 714 (*manus*) *imbutae Phrygia nece* ita usurpata non invenitur apud ceteros poetas, metonymia vocis leti alio exemplo, quo ea comprobetur, prorsus caret. – plaga pro vulnere dicitur Phaed. 281 *non habet latam data plaga frontem*, Oed. 141 *turpis e plaga sanies profusa*, 346 *lentus altas irrigat plagas cruor.* ceteri poetae et scriptores vocem plagae cum talibus verbis coniungere solent, ut nihil fere differat, utrum ictum an vulnus significari statuamus; veluti plagam accipere vel perferre dicit Cic. Phil. VII 17 *luculentam plagam accepit*, Disp. Tusc. II 41 *gladiatores . . . plagas perferunt.* apud Ovid. Met. XIII 119 (*clipeus*) *qui tela ferendo mille patet plagis* vulneris significatio magis perspicua est. cum vero Seneca dicit saniem e plaga effluere, multo fortiorem fieri tropum ac luculentiorem patet. — laborem pro re labore confecta poni notum est (Tr. 7 Seneca Troiam *caelitum egregium laborem* nominat), item messem pro frumento, quod habes Thy. 357 *fervens area messibus* et [HO. 791]. Med. 575 sq. Medea nutricem pallam ac monile, quibus Creusam interficere vult, adportare iubens *haec nostra* inquit *nati dona nubenti ferant, sed ante diris inlita ac tincta artibus.* ex verbis inlinendi ac tingendi adparet diras artes venenum carminibus incantatis compositum intellegendum esse, quo Medea vestem inficit. nusquam quod simile esset huic loco inveni, unde ex Senecae hortulo hanc imaginem prodiisse conicio. denique adnotandum est fata, quae sunt hominum mortis causa, pro hac ipsa adhiberi. cuius usus et ceteri poetae et Seneca multa exhibent exempla.[1])

Quoniam enumerata sunt exempla, in quibus res efficiens pro re effecta proponitur, iam ad ea me verto, quae contrariam rationem praebent. in eiusmodi metonymiis adhibendis Seneca ceteros poetas secutus, ut homines aut res visu tactuque manifestas significet, eas notiones cogitationi tantum subiectas ponit, quarum causae illi sunt, spem salutem votum quietem pacem praesidium auxilium solamen gloriam metum exitium odium crimen similia. exempla, quippe quae trita ac pervulgata sint, in adnotatione adscripsi.[2]) moram Seneca cum

---

Tr. 962, Phaed. 557, [HO. 1850]. — fletus Tr. 131, 411, 965, Phoen. 441, Med. 388, Phaed. 1263, Oed. 953, Thy. 967. — caedes HF. 373, 483, 919, 1029, Ag. 214, 976, Thy. 738.

[1]) HF. 612, Tr. 390, 654, Oed. 72, Ag. 518 al.; cf. Verg. Aen. XII 507 al.

[2]) Spes Tr. 462 et 768, Phoen. 517, salus HF. 622, votum et quies Tr. 961, cf. Ovid. ex Pont. IIII 13, 47, pax HF. 1072 *errorum* (*Somnus*), praesidium Tr. 125 *Phrygibus fessis* (de Hectore), Med. 227 *praesidia Achivae gentis* (Argonautae), Thy. 523 *senum praesidia, tot iuvenes*, [HO. 749 de Hercule], cf. Ag. 917; de rebus Tr. 793 *cassa praesidia* (manus matris), Med. 890, auxilium Ag. 743 *Phrygum* (de Hectore), 910 *paternae mortis auxilium unicum* (Orestes), solamen de hominibus Tr 704, Med. 946, Phaed. 267, gloria Tr. 231, metus Tr. 62 *Danais* (de Hecuba), 243 *saeva Amazon*

ceteris scriptoribus et homines adpellat, qui alicui rei impedimento sunt, veluti Ag. 211 *Danais Hector et bello mora*, Tr. 124 *mora fatorum* (de eodem), 813 *classis Argolicae moram* (de Astyanacte), HF. 1215 *inquieta montium* (de Hercule), et res, veluti Phoen. 246 *uteri nondum solveram clausi moras* (cf. Verg. Aen. X 485) et Med. 35 *Corinthos opponens moras* (cf. Ovid. Hal. 91). singulariter dictum est Thy. 762 *amputat trunco tenus umeros patentes et lacertorum moras.* nec minus singulare est quod legimus Med. 149 *Malea longas navibus flectens moras*; promunturium enim illud longe in mare patens navigantibus longo ambitu circumeundum erat, quae res eis moras faciebat. — labor pro homine, qui causa laboris est, ponitur Phaed. 792. hac metonymia omnino frequentissima nititur locutio in Senecae tragoediis saepius repetita, qua monstra ab Hercule victa labores nominantur, HF. 781 *Lernaeus labor*, 944 *primus en noster labor caeli refulget parte non minima leo*, HO. 74 *victor e terris meos specto labores*, 342, [744, 1616, 1928]; cf. 474, [816, 1455]. ad eundem tropum referendum est quod Med. 720 venenosae herbae et Oed. 153 venenum anguis pestes nominantur, quia pestem efficiunt. brevitati potius quam orationi ornandae inservit quod luctus pro re luctum efficiente ponitur Tr. 43, 949, 1059 sq., cf. Ovid. ex Pont. IIII 11, 9, item quod dies pro diei vel solis luce adhibetur, cuius locutionis exempla ex Senecae fabulis petita infra habes adposita.[1]) adde rictus HF. 691 al. et hiatus Med. 352 pro ore, morsus pro dentibus Tr. 797, amplexus pro bracchiis Thy. 1004. haec igitur usu sunt trita. contra propriae peculiaresque Senecae sunt imagines Oed. 349 *maculantur ictus* (non enim ictus ipsi sed securis, qua boves caeduntur, sanguine maculatur) et Thy. 282 *ingesta orbitas in ora patris,* quibus verbis significatur patrem, cum pueros comedisset, iam liberis orbum factum esse. Med. 24 sq. Iasoni praeter alia mala *liberos similes patri similesque matri* imprecatur Medea, deinde se interrumpit his verbis: *parta iam, parta ultio est: peperi.* quo loco ultio posita est pro liberis eadem metonymia, qua

ultimus metus, Phoen. 516 (de Polynice), Med. 516 (de Medea), Thy. 1049 *Cecropiis metus terris Procrustes*, Tr. 742 (*Troes*); animalia quoque metus nominantur HF. 230, Phaed. 29 aliaeque res, veluti Oed. 700 *pavet vanos metus*, Ag. 765 *strepunt nocturni metus*, coll. Tr. 302, [HO. 1958 *cum in caelum fureret flammae metus*], timor Tr. 767 *Danaum* (de Astyanacte), HF. 224 *Nemeae* (de leone), terror Tr. 707 de Astyanacte, Ag. 744 *Danaum* (de Hectore), Phaed. 1066 *hic terror* (de monstro marino), HF. 617 *terror armorum*, pavor HO. 27 (de tauro), exitium HF. 358 *nostri generis exitium ac lues* (de Lyco), Tr. 892 *pestis exitium lues utriusque populi* (de Helena), Oed. 876 *iuris exitium sacri* (de Oedipode); cf. Tr. 628, 853, Phoen. 131, crimen et odium Oed. 875 sq. de Oedipode (cf. Ovid. Met. III 268), poena Thy. 87, finis Phaed. 843 *finis Alcides fuit*, i. e. finem fecit captivitati meae.

[1]) HF. 135, 236, 243, 653, 821, 824, Tr. 21, Phoen. 9, 245, 394, 422, Med. 768, Phaed. 675, 837, 946, Oed. 338, 1001, Ag. 788, HO. 23, 519, [1363, 1632, 1707, 1890].

in exemplo antecedenti orbitas. peperi — dicere vult Medea — liberos, quibus coniugis iniurias ulcisci possim. cum hoc Senecae loco conferri potest Ovid. Met. XIII 516, ubi Hecuba dicit: *inferias hosti peperi* i. e. Polyxenam filiam, quae inferiarum vice fungeretur. — rarissimum est facinus pro rebus, quibus scelus commissum est, usurpatum. ita legimus Phoen. 363 *facinus horrendum manu gestavit* (Agave) i. e. caput filii avulsum et Thy. 662 facinus de reliquiis dictum est, quae scelus perpetratum in memoriam revocare poterant. conferri potest locus Ovid. Met. VII 423, ubi poculum, quod venenum continebat, facinus adpellatur.

Rariora in Senecae tragoediis sunt exempla, quibus effecta res sensibus subiecta pro substantivo abstracto rem efficientem significante ponitur eaque usitatissima, velut sanguis et cruor dicta pro caede, cf. Tr. 1003, Phoen. 296, funus pro morte Tr. 716, Med. 48, lacrimae pro querellis Tr. 142, 1168, Med. 293, Phaed. 1261, HO. 179. eodem modo res quae sensibus subiectae sunt inter se commutantur his locis: HO. 160 *vulnera dirigit Parthus* i. e. sagittas, quae imago satis frequens est,[1]) ignis pro fulmine HF. 933, Phaed. 683, Ag. 494, 531, Thy. 825, 1085, [HO. 1914] itemque flamma HF. 1205, Med. 532, Ag. 534, 595, Thy. 1086, ignes pro stellis HF. 127, eodem modo flammae Thy. 50, lumina Thy. 795, denique ignis pro face HF. 856.

Cum antecedenti metonymiae genere, quo substantiva abstracta et res significantia, quae causali ratione inter se coniuncta sunt, permutari vidimus, artissime cohaeret alterum metonymiae genus, permutationem dico rerum quae proprie sunt cum iis quae mente intelleguntur. quo in genere causalis quaedam ratio inest, sed non ita comparata, ut plane eluceat.

Res, quae cogitatione tantum comprehenduntur, pro rebus sensui subiectis ponuntur. Seneca eiusmodi locis sollemnem orationis poeticae usum secutus est neque profecto multa sunt, quae eius propria esse statuere possimus. ita aetatem genus adtributa laudis et vituperationis pro hominibus ipsis ponit atque in hac re ea ipsa praebet exempla, quae apud ceteros poetas saepissime inveniuntur.[2]) deinde animi motus et

---

[1]) Cf. Verg. Aen. X 140 *vulnera dirigere*, VIIII 745 sq. *vulnus detorsit* al.

[2]) aetas et sexus Oed. 53 *omnis aetas pariter et sexus ruit*, iuventus HF. 261, Phoen. 444, Phaed. 479, Oed. 745, Ag. 437, senectus duobus locis, ubi se ipsi adloquuntur homines exactae iam aetatis, HF. 1026 sq. *cernere hoc audes, nimis vivax senectus?* et Tr. 42 *quid gemis, vivax senectus?* — genus HF. 1068 *volucre genus Astreae* (de Somno), Med. 179 *Medea, Colchi noxium Aeetae genus*, 845 *matris infaustae genus*, Ag. 125 *Ledae genus* (de Clytaemestra), 162 *caeli genus* (de eadem), [HO. 1034 *Orpheus Calliopae genus*, 1427 *Alcidae genus*, 1485]. — nomen Tr. 628 *Pelasgum nomen*, Phaed. 230 *omne feminae nomen* (cf. celebratum illud 'nomen Latinum'), de uno homine Ag. 984 *nomen ambiguum suis* (de Aegistho), HO. 570 *fidele nomen Licha*; cf. Tr. 272 (*sceptra*) *vano fulgore tectum nomen*. — decus de diis HF. 592, Oed. 250, 405, [HO. 1518], de

similia ponuntur pro hominibus, qui iis adficiuntur, cuius usus in sermone Latino frequentissimi in Senecae tragoediis permulta inveniuntur exempla, veluti amor pro amantibus, dolor pro maerentibus, furor pro furentibus. sic Med. 416 *amor timere neminem verus potest*, coll. HF. 588.[1]) — alia huius metonymiae generis exempla eaque usitatissima leguntur Thy. 317 sq. *tacita tam rudibus fides non est in annis*, i. e. admodum iuvenes secreta servare non possunt, Phoen. 627 *Graeciae robur* pro copiis iuventute ac robore vigentibus, concursus pro multitudine, quae concurrit, Tr. 1125. simili modo Phaed. 601 (HO. 484) *en locus ab omni liber arbitrio vacat* substantivum abstractum arbitrii pro arbitro positum est. quodsi Seneca HF. 759 dicit: *terretque mensas avida Phineas avis*, duplex metonymia statuenda est; nam mensae cibis refertae pro epulis positae sunt simulque de Phineo cenante eodem modo ac saepius convivium et cena pro cenantibus ipsis usurpantur. Oed. 70 legimus *morbus auxilium trahit* i. e. eos qui morbo mederi student. — Europa rapta nominatur rapina Phaed. 308 et furta Oed. 716, Astyanax in Hectoris sepulcro abditus furtum Tr. 706, nec minus Orestes ab Electra servatus Ag. 931, quibuscum locis conferendi sunt Verg. Aen. VIII 263 et Ovid. Fast. I 560. -- coniugia pro uxore dictum, quod legimus Tro. 59, tropus usitatissimus est. sed nusquam alio loco inveni indolem pro hominibus ipsis dictum, quod legimus Thy. 492 *generis invisi indolem iunctam parenti cerno*; cf. [HO. 904 *natorum indolem*]. denique addam singulare plane metonymiae exemplum Oed. 869 sq., ubi Oedipus dicit: *in Tartara ima, rector umbrarum, rape retro reversas generis ac stirpis vices*, quae verba Thomas Farnabius ita explicat: me, qui adversus naturae leges reverti in matris uterum.

hominibus HF. 619, [HO. 749, 989], Tr. 766, 876, Med. 226, Ag. 395[a], specimen Phoen. 80, levamen Tr. 961, Phoen. 2, regimen Phoen. 1, Ag. 705, firmamen HF. 1251 *unicum lapsae domus firmamen*. — malum: homines mala nominantur Med. 362, Phaed. 697, HO. 447, [1450], animalia HF. 241, Med. 354, Phaed. 1032, HO. 288, [1235 et 1665]; cf. 14, 56, 264, 268, [997, 1329, 1651], pestis de feris monstrisve Med. 355, HO. 289, [1193, 1516, 1517, 1534, 1588], lues Med. 183, Phaed. 905, Oed. 107, in vocibus 'pestis' et 'lues' simul metaphora inest, nefas HF. 603, Thy. 1041, [HO. 980, de morbo 1224], dedecus Ag. 300. in talibus locutionibus Seneca haud minimam partem vim orationis posuisse videtur, cum eas tam frequenter repetiverit.

[1]) Cetera exempla haec sunt: Phaed. 114 *peccare noster novit in silvis amor*, dolor Tr. 545 *est quidem iniustus dolor rerum aestimator*, 904, 1013, 1066 (cf. Med. 155, Ag. 649), furor Tr. 670 *busta transierat furor*, Phaed. 96, cf. 824, Phoen. 353, invidia Tr. 479 (*arx*) *invidiae gravis*, facinus Phaed. 146 *tutum esse facinus credis et vacuum metu*, item scelera Oed. 35, Ag. 115, HO. 57, [1241], timor HF. 316 *prona est timoris semper in peius fides*, curae Phaed. 607 *curae leves locuntur, ingentes stupent*, miseriae Med. 253 *superbo pede miserias calcare*, fides HO. 608 *in tot populis vix una fides*, spes Thy. 295 *credula est spes improba*, virtus Oed. 88 *virtus nostra nescit ignavos metus*, [HO. 1564 *locum virtus habet inter astra*, 1971, 1984], error [HO. 983 *error a culpa vacat*]. cf. pax pro pacem servantibus Ag. 596.

Haec igitur sunt substantiva abstracta, quae in Senecae tragoediis pro hominibus dicta sunt. sed eiusmodi nomina etiam pro rebus ponuntur, veluti HF. 602 acies idem valet atque oculi, HF. 93, 1223, Thy. 1019 exilium idem ac locus exilii. recessus abditum locum aut cavum aliquid significat HF. 709. Phaed. 522, 933, Oed. 969, tractus locum HF. 1058, Thy. 406, pro veste amictus et cultus ponuntur Phaed. 386, Ag. 883, HO. 571, [828], Tr. 883, Ag. 881. sed haec omnia usitatissima sunt apud omnes poetas. adde Thy. 69, quo loco pro arbore fugiente Seneca dixit *arboris fugas.* fuga pro fugiente dicitur quoque HO. 516 *consequar telo fugam,* ad quem locum conferas Lucan. II 152 *busta repleta fuga* i. e. fugientibus et Colum. X 125.

Res quae vere sunt ponuntur pro iis quae mente tantum intelleguntur. parvus eiusmodi imaginum in Senecae tragoediis extat numerus. sic pervulgato mori poeta se adplicuit, cum eas corporis humani partes, e quibus animi natura tamquam elucet aut in quibus sensus inest, pro illis ipsis posuit. veluti Phaed. 453 *frons tristis* dictum est pro gravitate, *purae manus* pro innocentia HF. 1098 sq., oculi pro visu Thy. 415 (*nitor*) *oculos auferat,* auris pro audiendo Ag. 982 *aure verba indigna materna,* i. e. quae mater audiat. *mensae* quoque, quae cibis refertae sunt, pro epulis dictae Thy. 64, 273, 899 hoc loco adnotandae sunt.

Duobus metonymiae generibus pertractatis iam ad tertium me verto, quo ratio illa, quae inter duo substantiva per metonymiam immutata intercedit, ad locum pertinet. ac primum locus pro eo quod illo continetur ponitur. consuetudinem a poetis Latinis valde frequentatam secutus est Seneca, cum aut substantiva, quibus in universum locus significatur, veluti caelum et terram, pro incolis adhibuit, aut singularum terrarum vel urbium nomina aut alia substantiva, veluti domum navem ratem pro hominibus, qui in iis sunt, posuit. ita legimus Thy. 353 *quidquid fodit Occidens* i. e. homines, qui occidentem incolunt, et Ag. 942 *Graecia teste veloces equi,* i. e. velocitatis equorum Graeci Olympia spectantes testes sunt. cetera eiusmodi usus exempla in adnotatione collegi.[1])

[1]) [HO. 759 *toto iacet mundo gemendus,* 1018 sqq. *orbis . . . mundus . . . urbes*], HF. 448 *mortale caelo·non potest iungi genus,* Ag. 813 *adlegi caelo,* Phoen. 8 *aspectu levet caelum atque terras,* Med. 46 *tremenda caelo ac terris mala* (cf. HF. 64), Phaed. 194 *caelo et terris gravis*; HF. 632 *vidit hoc nefas defensus orbis,* Phaed. 175, [HO. 872, 1329, 1332, 1788, 1823, 1860]; Tr. 294 *terrae nomen ignotae audient,* HF. 250, (259), Oed. 472, Ag. 930, Thy. 1071, HO. 318, [1276]; Oed. 426 *Eoae plaga terrae,* [HO. 1900]; HF. 631 *ingrata tellus,* Phaed. 166, HO. 39, 65, 321, [1321, 1589, 1899]; Phoen. 544, 642 *libera patriam metu,* Med. 185 *liberet fines metu.* singularum terrarum nomina habes: Tr. 896 *Asiae . . . Europae cruor,* Tr. 194 *Graecia,* 319, Ag. 220, 942; Thy. 1049 sq. *Cecropiis metus terris Procrustes,* Phaed. 325 sq. *Persis . . . Lydia,* 344 *India,* [HO. 1379 *Scythia*], urbes nominantur: Phoen. 283, Med. 127, Thy. 576, cf. [HO. 1233, 1702, 1892 *moenia*]; Phoen. 283 *Argos,* Oed. 486, Ag. 353, Thy. 119, 411; Ag. 351 *Mycenae*;

cum Vergilio (Aen. XII 475 *nidi loquaces*, coll. Georg. IIII 17) Seneca HF. 148 dixit *querulos inter nidos* i. q. inter querulos pullos, qui in nido sunt. thalami ab omnibus poetis pro coniugio ponuntur, cuius usus permulta exempla apud Senecam inveniuntur.[1]) rarissime in latinitatis aureae sermone poetico thalamus pro coniuge dicitur; cf. Verg. Aen. VII 388, ubi thalamus pro sponsa adhibetur. multo saepius id fit aetate posteriore. ita Seneca dixit Phoen. 596 *arbitria thalami dura felicis feram*, Phaed. 627 *thalami raptorem*, 1216 *ut concremarem prolis ac thalami rogos* i. e. filii et uxoris, Oed. 54 sq. *iuvenesque senibus iungit et natis patres funesta pestis, una fax thalamos cremat* i. e. maritum et coniugem, itemque alii veluti Sil. It. II 627 *sic thalami fugit omnis amor*, VI 518 *ac promissa fides thalamis ubi, perfide, nunc est*, XIII 811 *vis Martigenae thalamos spectare Quirini? Hersiliam cerne.* quodsi exempla, quae in Senecae tragoediis inveniuntur, cum ceteris quae adtuli comparaveris, in illis metonymiam multo fortiorem esse videbis. eadem vi, qua matrimonium vel coniugium, tori quoque et a ceteris poetis et a Seneca plurimis locis usurpantur;[2]) rariorem vocem lecti uno tantum loco (Tr. 877) legimus. ad idem metonymiae genus referenda sunt pectus vel pectora et iecur[3]) tamquam animi sedes pro eo ipso usurpata, genae pro oculis, quae metonymia non tam singularis est quam Volkmannus putat (de art. rhetor. Graec. et Rom. p. 423 ed. II). conferas velim Verg. Aen. VI 686, Ovid. ex Pont. II 8, 66, Val. Flacc. VII 258 al. ex Seneca addas HF. 531 *pervigiles genas*, Tr. 441, Phoen. 538, Phaed. 364, 886, 1263 *fletus largos sistite, arentes genae.* tribus locis ille pharetram pro sagittis posuit, Tr. 136 *bis pharetras passa Herculeas* (cf. Med. 784 *Stymphalis Lernaea passa spicula*), Ag. 615 *Herculea cecidit pharetra*, Med. 710 *pharetra pugnax Medus.* nusquam in latinitatis aureae carminibus nobis occurrit haec metonymia, saepius apud poetas posteriores, veluti Stat. Theb. VI 124 *geminis Niobe consumpta pharetris* (coll. I 712), Sil. It. I 323, Val. Flacc. II 521.

Res pro loco, quo continetur, ponitur. contraria ratio inest in his immutationibus, quibus incolae vel res, quos locus quidam continet, pro

Phoen. 321 *Thebae*, Oed. 665, 749; Tr. 112 et Ag. 522 *Troia*, Ag. 206 *captiva Pergama*, HF. 302 *Eleusin tacita iactabit faces*, Phaed. 838. domus pro familia saepissime ponitur, navis pro nautis Thy. 143 *notior Ioniis fabula navibus*, ratis HF. 10, Med. 312, Ag. 409a, 575, carina Tr. 708.

[1]) HF. 347, 427, 489, 852, Tr. 61, 289, 891, 900, 948, 968, Phoen. 515, Med. 53, 56, 218, 443, 743, 1007, Phaed. 171, Oed. 20, 260, 635, 977, Ag. 164, 992, HO. 398, 529, [1491], gen. sing., quia forma 'thalamorum' a poetis vitabatur, Tr. 1132, Med. 299, Oed. 644, HO. 305, abl. sing. Tr. 874.

[2]) HF. 349, 413, Tr. 864, Phoen. 357, Med. 1003, Phaed. 97, Oed. 20, Ag. 110, 298, Thy. 1099, HO. 287, 405, 408, 585, gen. sing. Oed. 661, abl. sing. Phaed. 1187 et Ag. 264.

[3]) HO. 574, [1677, 1732]; haec vox apud ceteros quoque poetas rarius ita immutata usurpatur.

eo ipso adhibentur. permulta eius rei ut apud ceteros ita apud Senecam leguntur exempla, veluti Oed. 475 *quas Maeotis alluit gentes* i. e. terras, quas gentes incolunt, sed in eiusmodi locutione minus vis poetica quam usu trita dicendi ratio conspicitur. ventorum nomina adeo scriptores geographi pro regione, ex qua illi flant, ponere solent, veluti Plin. N. H. II 43 (luna) *nunc in aquilonem elata nunc in austros deiecta* atque ita Seneca Thy. 642 *conversa ad austros.* tenebras pro inferis non Seneca solus (Phoen. 143, Oed. 868) sed ceteri etiam poetae Latini permultis locis dixerunt. Phaed. 935 legimus *hiemes supra positus,* quod pertinet ad regionem sub polo septemtrionali positam hieme aeterna occupatam. similia apud Statium saepius invenies, Silv. V 1, 127 sq. *tecum gelidas comes ire per arctos Sarmaticasque hiemes,* I 3, 95 *per Aegaeas hiemes,* V 2, 5 *super Aegaeas hiemes,* Theb. VI 20 (*biremes*) *seu Tyrrhenam hiemem seu stagna Aegaea lacessant.* his exemplis adiungam vocem m e s s i s Tr. 548 dictam pro aestate, quam etiam Vergilius Ecl. 5, 70 aliique eadem significatione exhibent, cum ut in ceteris exemplis modo adlatis locus hic tempus ea re, quam continet vel adfert, significetur.

Quod sequitur metonymiae genus ea complectitur exempla, quibus res possessa cum possidente permutatur. inter nomina immutata possessionis ratio intercedit. primum igitur res possessa pro possidente ponitur. exemplum apud omnes poetas usitatissimum, a r m a dico pro armatis adhibitum, in Senecae quoque tragoediis longe saepissime nobis occurrit; cf. Tr. 8 *ad cuius arma venit,* 182 *Threicia arma stravit,* Phoen. 321 *Thebae arma fraterna invocant,* 621 *frater arma comitatus tua tibi militabit,* Med. 169 *non metuis arma,* 526 *Creo atque Acastus arma si iungant sua.* Oed. 732 *feta tellus impio partu effudit arma;* eodem modo e n s i s immutatur HF. 344 *strictus tuetur ensis,* cf. Thy. 364. de uno armato dicitur Tr. 322 sq. *Hector arma contemnens tua cantus Achillis timuit* i. e. te armatum . . . Achillem canentem, Tr. 44 sqq. (*vidi*) *execrandum regiae caedis nefas ipsasque ad aras maius admissum scelus Aeacidis armis.*[1]) artificium quoddam rhetoricum inest in Tr. 987, ubi Ulixes 'arma Achillis' nominatur; premitur enim contrarium *mater Hectoris* et *arma Achillis.* saepissime s c e p t r a tamquam signum regiae potestatis pro ea ipsa ponuntur, raro pro iis qui sceptra tenent. huius usus in latinitate aurea exemplum non inveni, plura apud Senecam: HF. 502 *sceptra quid possint scies,* i. e. rex quid possit, Phoen. 584 *quid sceptra facient,* i. e. quid

[1]) Formam 'Aeacidis', quae alio loco non legitur, ex codicis E scriptura 'Aeacis' et libri A 'Aeacidae' Scaliger restituit; Pyrrhus enim hoc loco nominatur. ceterum Leo viam tamquam indicaturus, qua quis verum inveniat, scribendum esse conicit (*vidi*) *ipsasque ad aras — maius admissumst fide — Aeacidis arma.* sed verba genetivum Aeacidis antecedentia suo iure stant, dummodo hunc sensum loco subesse statuamus: vidi regiae caedis nefas, scelus eo maius, quia ipsas ad aras admissum est.

tu facies, cum rex factus eris, Oed. 691, Ag. 60 *numquam placidam sceptra quietem certumve sui tenuere diem.* propria Senecae metonymia est frena pro eo qui currum regit dictum Ag. 940 *paternis assidens frenis comes* (de Pylade). postea Val. Flacc. VI 95 similiter habenas pro equitibus dixit; verba enim *pedes aequat habenas* haud aliter interpretari possumus ac si legeretur: numerus peditum equites aequat. Med. 366 sq. habes: *regum ferens inclita remos Argo,* quae navis ea de causa inclita dicitur, quia remi a viris fortissimis ac nobili genere natis agitabantur. iam conferas eiusdem tragoediae v. 608 *nobiles remos,* quo loco adiectivum nobilis remigibus conveniens per metonymiam cum instrumento, quo illi utuntur, coniunctum est. in his locis componendis Medeae Euripidiae vv. 4 sq. exemplo fuerunt Senecae, ubi legitur: *μηδ' ἐρετμῶσαι χέρας ἀνδρῶν ἀριστέων.* remos pro remigibus Silius quoque dixit VI 362 *qui voce alternos nautarum temperet ictus et remis dictet sonitum.* aliis locis hanc metonymiam non inveni.

Is qui possidet pro re possessa substituitur his locis: Dis pro inferis Tr. 198, 432, 723, Thy. 805, Tethys pro mari HF. 1328, Phaed. 571, 1161, [HO. 1252, 1902], item Nereus Oed. 508, HO. 4, Proteus Phaed. 1205. — quae Med. 928 legimus verba *mater tota coniuge expulsa redit* idem significant ac pietas materna coniugis perfidiae ulciscendae cupiditatem vicit. simile Ovidius praebet exemplum Met. VIII 463 *pugnant materque sororque.*

Materia pro re effecta ponitur. huius usus ab omnibus poetis celebrati apud Senecam quoque plurima leguntur exempla. veluti adhibetur aurum de poculo aureo Phaed. 519, Ag. 878, Thy. 453, de vinculo calceamenti auro intexto Phaed. 321, de arietis pelle aurea Med. 613, de lacunari aureo Phaed. 498, de pomis aureis Ag. 857 sq. (*fulvum metallum*), argentum de poculo argenteo Thy. 913, aera de tubis Phoen. 389, de vasis Med. 796, ferrum de gladio locis permultis (chalybs Thy. 364), de falce Thy. 653, de vinculis Phaed. 884; pinus de nave Tr. 71, Med. 336 (item trabs Ag. 120), de face Med. 38 (item trabs 962). robur (robora) pro clava HF. 800, 1119, buxus pro tibiis Ag. 689, lina pro velis Med. 320, item carbasa HF. 152, 538, Med. 319, Oed. 466, saxa pro muris HF. 998. animadvertas Senecam vel in libris, qui ad philosophiam pertinent, talia saepius admisisse, de qua re conferas Volkmann. p. 422.

Iam ad ultimum metonymiae genus perveni, quo rem aliquam sensibus subiectam pro ea re, quae illa significatur, positam habes. sic nonnullis locis hominis alicuius nomen adfertur pro animi natura, qua ille utitur, ita ut homo tamquam signum eius animi condicionis esse videatur. Tr. 613 sq. Ulixes ipse animum suum adloquitur: *nunc advoca astus, nunc fraudes, dolos, nunc totum Ulixen* i. e. omnem astutiam, et Thyestes

in eiusdem nominis tragoediae v. 937 dicit: *veterem ex animo mitte Thyesten*, i. e. sollicitum animum depone. in talibus locutionibus ars quae Senecae est propria facile cognoscitur. — Caucasus signum duri animi habetur Med. 43 *inhospitalem Caucasum mente indue.* eadem imagine usus est Verg. Aen. IIII 366 sq. *sed duris genuit te cautibus horrens Caucasus.* saepius res, quae signa sunt aut dignitatis honorisque aut similis notionis, pro hac ipsa ponuntur. ita pro regno sceptrum adhibitum est plurimis locis infra congestis,[1]) rarius solium Phaed. 216, Ag. 264 (cf. Verg. Aen. X 852), uno loco regium decus, quod est corona, Ag. 8 *auspicari regium capiti decus*; cf. Thy. 887. palma pro victoria Thy. 410, 1097 eademque significatione Tr. 849 corona; Elis enim coronis clara idem est quod clara victoriis Olympiae reportatis. victoriam significant quoque tropaea Ag. 190 *post tropaea Troica ac versum Ilium*, cf. Hor. C. II 9, 19 *cantemus Augusti tropaea.* cum voce fascium pro imperio dicta Phaed. 983 conferas velim Verg. Aen. VI 818 et Georg. II 495. Delphicae laurus pro oraculo Apollinis positae apud Senecam solum Oed. 16 extant; conferri potest Claudianus de rapt. Pros. II 109, ubi laurus venturi praescia adpellatur. arces significant imperium Thy. 342, quod saepius invenies in latinitate argentea, veluti Lucan. VII 593, VIII 490 al. focus tamquam domus signum legitur HO. 133, 581. catenis significatur captivitas Phaed. 125, servitus Sil. It. III 37, XVII 368. nuptias Seneca more usitato verbis face taeda hymenaeo hymene exprimit, saepissime autem face. contra Vergilius plurimis locis voce hymenaeorum utitur, apud Ovidium taeda praevalet. nullo autem loco in Vergilii carminibus invenimus vocem facis ita usurpatam neque apud Ovidium hymenaei. ratio quae inter hos poetas intercedit — singulos locos infra habes enumeratos[2]) — hac tibi tabula ostendetur:

	fax	taeda	hymenaeus	hymen
Vergil.	—	3	13	—
Ovid.	2	16	—	—
Seneca	7	4	1	2

[1]) Numero singulari positum HF. 430, 599, (707), Phoen 275, (599), 615, Med. 143, Oed. 105, Ag. 349, Thy. 341, 604, [HO. 1510], plurali HF. 65, 272, 342, (399), Tr. 271, 728, 771, Phoen. 57, 648, Med. (205), 252, 529, 982, Phaed. 217, 617, Oed. 12, 241, 513, 635, (642), 670, 705, Ag. (10), 111, 194, 930, Thy. 971, HO. 559, 604, [874].

[2]) Locos Vergilianos collectos invenies apud Braumuellerum p. 7, quibus adde hymenaei Georg. III 60. loci Ovidiani hi sunt: fax Met. VII 49, Her. 6, 42, cf. 21, 172, taeda Met. IIII 326, VIIII 722, 769, XV 826, Her. 4, 121; 6, 134, Trist. IIII 5, 33,

Adiectiva per metonymiam adhibita.

Adiectiva quoque saepissime per metonymiam adhibentur ita ut adtributum uni ex duobus substantivis metonymiae ratione inter se cohaerentibus conveniens cum altero substantivo coniungatur. haec adiectivorum immutatio in eadem dividi potest genera, quae in substantivis supra statuimus. veteres autem grammatici et artis oratoriae magistri velut Quintilianus VIII 6, 27 quamquam metonymiae usum ad adiectiva etiam pertinere viderunt, nemo tamen adhuc adiectiva ita usurpata in certum ordinem redegit. hoc igitur facere conatus sum exemplis insignioribus, quae in Senecae tragoediis inveniuntur, collectis, qua in re magis id quod statui evincere quam ea quae apud Senecam leguntur eius rei exempla cum ceteris poetis conferre studui. nam plurima quae huc pertinent sunt usitatissima, rariora perpauca inveniuntur.

Metonymiae generi, quo in substantivis res efficiens cum effecta permutatur, idem in adiectivis respondet. ac primum agamus de adiectivis, quae auctori et rei efficienti convenientia ad res effectas transferuntur. Ag. 360 *tibi fila movent docta puellae* (puellae sunt doctae, quae varii coloris textilia conficiunt), Oed. 908 *audax via,* HF. 172 sq. *rabiosa iurgia,* HF. 483 sq. *hospitali caede manantes foci bibere iustum sanguinem Busiridis* (sanguis iustus dicitur, non quo Busiris iustus fuerit, sed quod caedes eius iusta poena fuit. ut caedem pro sanguine per metonymiam poni vidimus, ita hic adiectivum caedi conveniens cum sanguine coniungitur; cf. Phaed. 708). ita adtributum ingredienti conveniens ad gradum ipsum transferri solet: Tr. 616 *anxios gressus,* Med. 675 *attonito gradu,* Oed. 1047 *pavitante gressu,* Tr. 674 *entheo gradu* (cf. Med. 382), Med. 69 *gradu ebrio,* 738 *vesano gradu,* Thy. 420 *nolentem gradum,* similiter Med. 864 *cursu furente.* deinde id quod efficitur rei efficienti tribuitur. in tali metonymia posita est significatio activa adiectivorum, quae passivam aut mediam habere solent. ita HF. 166 opes beatae adpellantur, quia homines reddunt beatos. eadem ratione legimus Ag. 591 *libera mors,* quocum loco conferendum est illud Ovidianum *toga libera* Fast. III 771 vel *liberior* Trist. IIII 10, 28, i. e. toga virilis, quae efficit, ut qui eam induit maiore libertate fruatur, Tr. 236 *inclitas laudes* [cf. HO. 882]. inprimis res, quae hominibus sollicitudinem adferunt, ipsae sollicitae dicuntur, cf. HF. 461 *sollicita pretia,* Phaed. 518 *sollicito bibunt auro,* Oed. 675 *fortuna sollicita,* 981 *sollicitae curae,* Thy.

---

ex Pont. III 2, 55, Fast. II 558, taedae Met. I 483, 658, 763, IIII 60, XIIII 677, Fast. V 487, VI 221. Senecae loci: fax HF. 346, Oed. 21, [HO. 959], faces Med. 67, 398, Oed. 272, HO. 339, 404, [1491], taedae HF. 493, Phoen. 263, Med. 581, Ag. 259, hymenaeus Phoen. 262, hymen Tr. 861, 895.

571 *anxiae noctis.* denique vis metus, senectutis, similium rerum eo quod efficiunt ostenditur. ita legimus HF. 163, Ag. 916 *trepidi metus*, Phaed. 1053 *frigido metu*, Tr. 457 *gelidus horror*, HF. 414, Oed. 659 *gelidus tremor*, 376 *rigore tremulo*, HF. 198 *cana senectus*, Med. 258 *senio debili*, Phaed. 823 *deformis senii*, Thy. 5 sq. *fame hiante*, HF. 991 *caecus furor*, Phaed. 528 *cupido*, Ag. 118 *amor*, tali adiectivorum usu nititur allegoria, qua abstracta adiectivo, quod rem eis effectam significat, exornantur, veluti HF. 690 sqq.

(taxum) tenet segnis Sopor
Famesque maesta tabido rictu iacet
Pudorque serus conscios vultus tegit.
Metus Pavorque furvus et frendens Dolor
aterque Luctus sequitur et Morbus tremens
et cincta ferro Bella; in extremo abdita
iners Senectus adiuvat baculo gradum.

color nivis ad hiemem nives procreantem transfertur Phaed. 966 *canae frigora brumae.* huc quoque pertinet vis activa adiectivorum *tutus* et *pervigilis*, veluti Thy. 231 *tuta prata*, 467 *Baccho pervigili*; prata enim muro inclusa arietem ea depascentem tutum reddunt, vinum efficit, ut epulantes noctem pervigilent.

Porro adiectiva, quae rebus sensui subiectis conveniunt, ad substantiva abstracta transferuntur, cuius usus tritissimi pauca exempla adferre sufficiat. Ag. 161 *maria pigro fixa languore* (mare est pigrum); *morae languidae* et *segnes* Phoen. 46, Med. 54, *tranquilla quies* HF. 160; ibid. 298 dicit Megara: (dies quo) *reditus lentos nec mei memores querar* (Hercules rediturus non est immemor matris), Ag. 98 *cum in pastus armenta vagos vilia currant* pastus vagi dicuntur, quia boves, dum pascuntur, in agris vagantur. conferas quoque *conscius pavor* Phaed. 162, *spes credula* ibid. 634, *iratus amor* HO. 452 similia.

Adiectiva, quae ad homines vel res locum aliquem obtinentes pertinent, huic ipsi tribuuntur. ita legimus Phaed. 753 *thyrsigera India*, Ag. 205 verbis *victor Asiae ferocis* incolarum ferocitas ipsi terrae adscribitur et Phaed. 715 eadem ratione Maeotidis undae *barbarae* adpellantur, quia barbari hunc lacum accolunt. ab umbris pallidis, quae in eo sunt, Averno hoc adtributum datur Phaed. 1201 (cf. Oed. 1047). Tr. 192 *solvite ingratas rates* et Phaed. 530 *nondum secabant credulae pontum rates* adiectiva ingratus et credulus ad eos pertinent qui navibus vehuntur. similiter dicta Tr. 1167 *secura classis* et Ag. 173 *impias rates.* contraria ratio iis locis inest, quibus frigidarum regionum incolae ipsi gelidi vel frigidi adpellantur, veluti HO. 40 *ursae frigidum Scythicae genus*, 125 *gelidus Dolops*, 158 *Sarmata frigidus*; cf. Hor. C. IIII 5, 25 *gelidum Scythen.* Tr. 848 Pylos, cuius imperium Nestor admodum senex obtinet, *senilis*

nominatur. quodsi Aeschylus Ag. 712 *Πριάμου πόλις γεραιά* dicit, urbs Troia veterrima cum sene comparatur, quae est metaphora, hoc loco vero adiectivum 'senilis' non diuturnitatem urbis spectat, sed a Nestore, Pyli rege, qui a poetis semper vir summae senectutis fingebatur, petitum ad urbem ipsam per metonymiam translatum est (cf. HF. 561 *Nestoream Pylon*). similis locus est Tr. 857, ubi legimus *nocens saxis Ithace dolosis*. saxa magnam partem sub maris aequore recondita dolosa adpellari posse imagine ab hominibus petita quis est qui neget? sed hoc loco poetam ea de causa adtributum 'dolosus' ad Ithacae saxa adposuisse, quia insulae regnum obtinebat Ulixes, calliditatis fama celebratus, exemplum supra citatum satis evincit. omnino loca epithetis ornare, quae a dominis eorum petita sunt, Senecae proprium esse videtur. restat ut adnotem eum Phaed. 23 ad Hymettum adiectivum dulcis adposuisse, quia in hoc monte mel dulcissimum procreabatur.

Illi quoque metonymiae generi, quo res possessae cum eo qui possidet permutantur, adiectivorum usus respondet. adiectivum enim quod possidenti convenit ad rem possessam transfertur. luculentum exemplum habes Med. 608, ubi remi ab Argonautis, viris nobilibus ac fortibus, agitati ipsi nobiles dicuntur. respondet huic adiectivi usui 'regum remi' pro regibus, qui sunt remiges, adhibitum, quod legimus in eiusdem tragoediae v. 367. alia exempla sunt: Ag. 111 *sceptra vidua tutari fide* (Clytaemestra enim, quae marito in expeditione contra Troiam versante regnum obtinet, quasi vidua est), Ag. 588 *entheas laurus*, 779 *victrice lauru*, 936 *victricem frondem*, Phaed. 107 *iactare tacitis conscias sacris faces* (cf. Med. 6 *conscium iubar*), Ag. 807 *supplice fibra*, 570 *in saxa ducit perfida classem face* (de Nauplio; de eadem re Med. 658 dictum est *igne fallaci*), Phoen. 467 *impium ensem*, HO. 129 *indocta fistula*. his adiectivis duo participia addo eodem modo usurpata: HF. 155 sq. *deceptos instruit hamos* (piscator) et Oed. 469 *laxavit victos arcus Massagetes*. eadem ratio est in Tr. 340 (*Scyrus inclusa fluctu*) *cognati maris*, quo loco ad mare adiectivum transfertur, quod Thetidi convenit, quae Pyrrho cognata fuit. saepius in sermone Latino res, quae cognatorum sunt, ipsae cognatae dicuntur.

C. De synecdocha.

Quintilianus Inst. or. VIII 6, 19 nos docet hunc tropum 'sermonem variare, ut ex uno plures intellegamus, parte totum, specie genus, praecedentibus sequentia, vel omnia haec contra' et Charisius Gramm. Lat. I 274 K. de eo haec nobis tradit: 'synecdoche est dictio plus minusve pronuntians magis quam significans; modo enim toto dicto pars intelle-

gitur, modo parte nominata totum accipitur.' ex his definitionibus, ad quas ceterae a veteribus veluti a Cic. de or. III 168 prolatae proxime accedunt, adparet synecdocham in partitione positam esse. quae cum ad rem singularem pertineat, pro tota re eius partem poni aut contraria ratione pro parte totum, cum ad numerum, pro pluribus rebus unam, numerum pluralem pro singulari aut contra — numerus quoque certus pro incerto dictus huc est referendus —, cum vero illa partitio ad vim et tamquam circuitum notionis pertineat, genus cum specie mutari. gradus igitur, per quos partitio illa tamquam descendit, hi sunt: genus, species, plura, unum (totum), pars. pro genere species ponitur, pro pluribus unum, pro tota re eius pars eademque omnia contra.

Synecdochae exempla, quae in Senecae tragoediis leguntur, enumeraturus primo loco id genus ponam, in quo partitio illa maxime perspicitur, et ut singula genera a minore ad maius provecta per ordinem inter se excipiant, hac dispositione utar: I. pars pro toto (totum pro parte), II. numerus singularis pro plurali (pluralis pro singulari), III. species pro genere (genus pro specie). his igitur praemonitis iam me ad rem ipsam convertam.

Pars cum toto permutatur, itaque pars ponitur pro toto, veluti corporis humani partes pro ipso homine saepissime et a ceteris poetis et a Seneca atque inprimis caput tamquam corporis membrum excellentissimum in adlocutione HF. 1334 *o fidum caput, Theseu,* Med. 465 *ingratum caput,* Phaed. 677 *sidereum caput, radiate Titan,* Oed. 291 *proximum Phoebo caput,* Ag. 953 *impium atque audax caput.* item cum adtributis tamquam execrantibus aut in execratione ipsa HF. 920 sq. *utinam cruore capitis invisi deis libare possem,* Phoen. 7 *hoc nefandi capitis aspectu,* Med. 1005 *noxium macta caput* (cf. Thy. 153), Phaed. 1280 *gravis tellus impio capiti incubet,* Thy. 188 *invisum caput,* 244 *profare, dirum qua caput mactem via,* 996 *omnis in vile hoc caput abeat procella* (cf. Verg. Aen. VIII 484), Oed. 521 *mitteris Erebo vile pro cunctis caput,* Ag. 231 *oppone vile suppliciis caput,* [HO. 1330 *infelix caput mactate saxis,* 1974]. rarius caput hac significatione positum cum aliis adtributis coniungitur, veluti Phoen. 233 *cur caput tenebris grave non mitto ad umbras,* Phaed. 1020 *novum caput,* Ag. 163 *lustrale peperi caput,* Thy. 712 *capita devota impiae irae.* miramur sane, quot locis Seneca hac locutione usus sit, atque insigne habemus exemplum, quanto opere singulos tropos, qui sollemni sermonis poetici usu celebrati erant, iterando iustum modum excesserit, ut et exornaret orationem tragicam et fortiorem redderet. idem dici potest de tropo sequenti. saepissime enim Seneca manum omnia efficientem pro homine ipso collocat: HF. 247 *audaces manus fugavit labor,* 487, 738, 740, 914, 1034, 1196, 1342, Tr. 218, 309, 654, 740, Phoen. 428, 567, Med. 128,

366, 701, 901, 908, 952, 987, 1009, Phaed. 458, 927, Oed. 15, 662, 806, 986, Ag. 118, 971, Thy. 518, HO. 26, 571, 669. dextra eodem modo usurpata legitur HF. 519 *impiam regis feri compesce dextram*, 1011, 1197, 1272, Tr. 117, 119, 328, Med. 645, Phaed. 60, 555, Oed. 257, 1002, Thy. 147, HO. 29. plurimis locis haec substantiva per synecdocham immutata in posteriore Herculis Oetaei parte inveniuntur: manus 819, 837, 857, 872, 909, 921, 935, 955, 963, 972, 1179, 1182, 1244, 1263, 1297, 1307, 1318, 1409, 1411, 1459, 1661, 1814, 1846, dextra 901, 932, 988, 1001, 1217, 1458, 1476, 1656, 1894, 1937. his exemplis adiungantur cervix HO. 374 *illa cervix spolia deposuit ferae* et lingua loquax, quod uno loco Thy. 92 pro homine loquaci legitur: *ingenti licet taxata poena lingua crucietur loquax.* similem locum Tibullus praebet I 2, 80 *mea nunc poenas impia lingua luit.* synecdocha quoque est, cum homines latus alicuius comitari dicuntur, veluti Phaed. 425 et Oed. 777. illis verbis, quae per synecdocham translata in poetarum officina tamquam instrumenta erant, veluti aether vel polus pro caelo, vadum vel fretum pro mari (vadum quoque pro flumine), iuga pro monte dicta, Senecam saepissime usum esse per se elucet neque profecto singulos adferri locos necesse est. unda legitur pro aqua Med. 745, 887, 889, Oed. 43, Ag. 558, HO. 300, [835, 944], pro flumine HF. 185, 1109, Med. 805, Phaed. 1202, Oed. 163, Ag. 755, pro mari HF. 600, HO. 662, cf. Phaed. 1211. haud minus usitata sunt substantiva moenia et murus pro urbe, cf. Phoen. 540, 580, Phaed. 485, Ag. 651, HO. 140, Phoen. 444 sq. *ab Inachio muro*, tecta pro domo HF. 846, 1007, Tr. 826, Med. 380, Phaed. 208, 211, 1154, Oed. 258, 918, Ag. 613, Thy. 404, 908, 1010, HO. 224, 646, fastigia Phaed. 384, limen Med. 22, Ag. 285, portam significans Tr. 723 *perfracto limine Ditis* (cf. HF. 47), singulariter Phaed. 496 sq. *mille columnae* pro domo permultis columnis saepta, puppis et carina pro tota nave saepissime, contra vox rarior 'prora' eadem vi adhibita non invenitur. currus totus intellegitur, si singulae eius partes pronuntiantur, Med. 34 *iuga*, Phaed. 1097 *rotae*, [HO. 1022 et 1839 *rota*], ibid. 678 et [1443] *axis*; aratrum vomere significatur Oed. 722, lyra plectro Phaed. 297. zmaragdi Phaed. 318 pro anulis hac gemma ornatis leguntur, ibid. 391 niveus lapis de aurium insigni. singulare synecdochae exemplum est nodus pro clava positus HO. 1661, quod non Senecae, sed eius imitatori tribuendum est. postremo loco commemoro horam pro tempore dictam HF. 842, Phaed. 1142, Thy. 598, 794.

Totum pro parte ponitur. ut brevior fiat oratio, homines vel animalia adhibentur pro ipsorum sanguine, veluti HF. 455 *sagittas imbuit draco* et [HO. 1871] *populis madens ferrum* (cf. Tr. 195 sq. *Polyxene mactetur et tumulum riget* et 287 sq.), item homines ipsi pro sortibus, in

quibus eorum nomina sunt inscripta, Ag. 23 sq. *quos quaesitor urna Cnosius versat reos.* saepe totum animal pro pelle ponitur, cf. *leo* HF. 46 (in eodem versu *hydra* venenum hydrae significat, quo Hercules sagittas imbuerat) et 465, *nebris* Oed. 438; eodem modo arborum nomina, oliva laurus myrtus cupressus populus alia,[1]) ramorum loco, quibus homines tempora sua redimiunt, nominantur, veluti HF. 894 *comas tege populo* (coll. HO. 578). uno loco HF. 912 *populea nostras arbor exornet comas* Seneca solitam rationem paullum excessit adpellativo ad arboris nomen adposito, quod alio loco non inveni. silva pro arboribus aut earum lignis dicta invenitur Thy. 168, HF. 506 *congerite silvas* (cf. [HO. 1637, 1641] et Verg. Aen. III 24), singulariter HF. 1216 nemus; cf. Lucan. I 306. eadem vox Tr. 543 superiorem arboris partem fronde tectam significat.[2]) flumen bibere est idem quod aquam ex flumine haurire et de iis qui flumen accolunt dici solet. talia exempla et apud ceteros poetas (cf. Verg. Aen. VII 715, Ecl. 1, 62) et apud Senecam multa occurrunt: Tr. 9 *Tanain bibere,* Phoen. 127 *Eurotan,* Med. 373 sq. *Araxen Albin Rhenum* (cf. Phaed. 58), Oed. 427 *Gangen,* Ag. 318 sqq. *Erasini gelidos fontes . . . Eurotan . . . Ismenon.* item fons dicitur pro aqua fontis Phaed. 520 *iuvat captasse fontem,*[3]) sed inusitata haec vox est de maris aqua usurpata Med. 651 *pontum fonte timendo* (ex probabili Gronovii coniectura). eandem fere synecdocham inveni Stat. Theb. III 408 *Sol equos rutilamque lavabat Oceani sub fonte comam,* quamquam huius loci paullo alia est ratio. synecdocha mons pro rogo ibi extructo aut pro nive in cacumine eius sita Med. 639 *ardenti in Oeta* et v. 590 *tabuit Haemus* ex oculorum iudicio proficiscitur, cum rogo in cacumine montis ardente mons ipse ardere videatur et tabidae nives tabescentis montis speciem oculis praebeant. restat ut adnotem currus pro equis dici HF. 1169, Thy. 819, quam synecdocham quoque Verg. Aen. XII 287 aliisque locis invenimus, et colum pro lana, quae in ea est, HO. 668, quod hoc loco solo extat.

Numeri immutantur. singularis saepissime multitudinem significat, ita ut unum oratione ponatur, cetera audiantur. talis numeri singularis, quem nos collectivum nominamus, ex ingenti copia exemplorum, quae in Senecae tragoediis extant, pauca adferam insigniora: Phaed. 67 sqq. *sive illud Arabs divite silva sive illud inops novit Garamans vacuisque vagus Sarmata campis,* Oed. 113 sq. *carpitur leto tuus ille, Bacche, miles,* Ag. 451 *Tyrrhenus omni piscis exultat freto,* Thy. 736 (leo) *vitulis mina-*

[1]) Cf. Verg. Aen. III 64 (*cupressus*); III 81, V 246, 539 (*laurus*); V 72 (*myrtus*); V 309, 494, VII 751 (*oliva*).

[2]) Lucan. X 304 arbor eadem significatione usurpatur: (*Meroe*) *laeta comis hebeni, quae quamvis arbore multa frondeat, aestatem nulla sibi mitigat umbra.*

[3]) Cf. Verg. Aen. II 686, XII 119, Georg. IIII 376 al.

tur dente iam lasso piger, Oed. 51 *arente culmo sterilis emoritur seges*, Ag. 807 (*te*) *supplice fibra colam*. pluralis numerus rerum quae sunt saepius non plures eiusdem generis res significat, sed aut partes rei spectat, veluti 'pectora' pro 'pectore' positum, aut verbi vim auget atque amplificat, ut pluralis currus currum cum equis significare solet, nives magnam nivis copiam. ex hac augendi vi, quae in numero plurali inest, efficitur, ut plerumque hoc numero ponantur et nomina, quae translatam vim habent, et ea quae partem significantia per synecdocham pro toto adhibentur, veluti tecta et limina, et quae per metonymiam ponuntur, ut thalami tori sceptra. numerus pluralis substantivi abstracti adfectum vel actionem aut iterata esse ostendit aut amplitudinem diuturnitatemque iis tribuit, veluti si dicas iras fletus odia regna similia. labore cuncta numeri immutati exempla, quae in Senecae tragoediis leguntur, enumerandi me supersedere posse credo; nam poeta in hac re usitatam rationem non excessit. usus vero tam longe patet, ut, etiamsi nomen numero per synecdocham mutato positum nobis occurrat, quod ceteri poetae hoc numero non posuerunt, tamen statui non possit Senecam consilio novi quicquam admisisse. id tantum exemplis quibusdam depromptis demonstrare velim, quod nusquam adnotatum inveni, poetas in singulari aut plurali numero adhibendo haud minimam partem casus formam respexisse. singularis numeri forma si displicebat, pluralem ponere solebant, si huius numeri formam aures respuebant, singularem. ita Seneca quartae declinationis genetivo numeri pluralis per synecdocham nusquam utitur, dativum singularis prorsus exclusit eiusque loco pluralem formam posuit, quamquam haec forma in -ibus desinens in ablativo vitatur. contra accusativus pluralis huius declinationis longe praevalet. sed iam exempla inspicias:

metus

num. sing.	num. plur. (per synecd. adhib.)
nom. Tr. 302, 426, 431, 632, Oed. 245, 511, 704, 706, Thy. 207 sq., 670, 968.	nom. HF. 163, Ag. 765.
gen. Med. 338, Phaed. 492, Ag. 638.	gen. —
dat. —	dat. —
acc. HF. 1304, Tr. 399, 626, Med. 396, Phaed. 727, Oed. 793, Thy. 17, 677.	acc. Tr. 36, 437, 588, 592, Med. 42, 480, Phoen. 631, Oed. 88, 700, 764, 797, 801, Ag. 246, 283, 695, 916, Thy. 348, 418, HO. 650.
abl. HF. 400, 1298, Tr. 315, 323, 496, 551, 576, 869, 1072, 1130, Phoen. 530, 642, Med. 185, 270, 872, Phaed. 146, 243, 1053 sq., Oed. 904, Thy. 634, 829.	abl. —

fletus

num. sing.	num. plur. (per synecd. adhib.)
nom. Tr. 765, 965, HO. 249.	nom. —
gen. Tr. 78, Ag. 924.	gen. —
dat. —	dat. —
acc. —	acc. HF. 1175, Tr. 131, 133, 454, 717, 785, 799, Phaed. 855, 1263, Thy. 967.
abl. HF. 1274, Tr. 411, 449, 1012, Phoen. 441, Med. 388, Phaed. 1121, Oed. 56, 953.	abl. Phoen. 417.

currus

num. sing.	num. plur. (per synecd. adhib.)
nom. Phaed. 1092, 1100, Ag. 944.	nom. —
gen. —	gen. —
dat. —	dat. Oed. 779.
acc. Phaed. 1069.	acc. HF. 844, 1169, Tr. 153, Med. 599, 787, 874, Phaed. 311, 787, 1063, 1075, Oed. 255, Ag. 447, 817, 913, Thy. 784, 797, 819.
abl. HF. 195, 593, Tr. 188, 413, Med. 29, 1025, Phaed. 316, 746, 1088, Oed. 424, Thy. 410.	abl. Med. 32.

ad primam et alteram declinationem adnotandum est formas genetivi pluralis in -arum vel -orum desinentes rarissime per synecdocham adhibitas esse (duobus locis Thy. 26 et 509 legimus *irarum*), cuius rei testimonio esse potest vox thalami, quae omnibus fere locis, ubi per metonymiam usurpata est, numero plurali posita invenitur exceptis iis locis, quibus genetivus legitur, dico Tr. 1132, Med. 299, Oed. 644, HO. 305; de rationibus, quae inter singulos locos intercedunt, cf. p. 43 adn. 1. vel ex paucis quae proposui exemplis intellegitur etiam casuum rationem habendam esse, neque dubito, quin metrum quoque in hac re alicuius momenti fuerit.

Adiungo exempla, ubi certus numerus pro incerto positus est. numeralia usitatissima, quae ita usurpantur, sunt centum et mille, veluti Tr. 1020 sq. *centum rura qui scindunt opulenta bubus* (cf. Hor. C. II 16, 33), HO. 606 *centum limina*, Phoen. 153 *mille aditus* (ad mortem), Phaed. 551 *mille formas mortis*, 496 *mille tegi columnis*, HO. 303, [1360, 1388] *mille ferae*, 635 *mille coloni*; cf. Tr. 1030. his adde decimus Ag. 502 *fluctus hanc decimus tegit*.

Genus cum specie permutatur, ita ut species ponatur pro genere. quae apud Senecam extant eius rei exempla rationes usitatas nusquam excedunt. populus multitudinem significat Tr. 1009. nomina, quae exercitus Romani partibus proprie conveniunt, in universum de omni manu dici solent; cf. Med. 214 sq. *cohors inclusa ripis vidua Thermodontiis* i. e. Amazonum (cf. Verg. Aen. XI 500), Oed. 432 *Bassaridum cohors*,

586 *saeva cohors* ex draconis dentibus orta, Thy. 250 *dira Furiarum cohors*, Tr. 779 (*nec*) *puer citatas nobilis turmas ages*, Ag. 642 *turmas femineas . . . viriles* (cf. Ovid. Art. III 2, ex Pont. IIII 10, 51). avi pro atavis dicuntur: HF. 339 (cf. Verg. Aen. VI 840, 876 al.). simili modo Thyestes in eiusdem nominis tragoediae v. 1014 Tantalum et Pelopem avos nominat. ventorum quaedam species proponitur, ubi omnino de ventis agitur, inprimis noti Med. 322, Ag. 90 (cf. Verg. Aen. III 268 al.). restat ut breviter perstringam domum pro domicilio dictam Tr. 66, HO. 203, [1633].

Genus pro specie adhibetur. paucis praemoneam eas locutiones, in quibus ad notionem generalem adtributum adponitur, quo species certius definiatur, non synecdochae sed antonomasiae adnumerandas esse, quae ex illa orta proprius quodammodo tropus habetur. quam rem uno demonstrare mihi liceat exemplo. liquor pro aqua positum (Thy. 107) synecdocha est; nam generalis notio 'liquor' pro una eius generis specie, pro aqua usurpatur. quodsi contra Thy. 687 legimus *Bacchi liquor*, non habemus synecdocham, sed antonomasiam. quamquam sane concedendum est saepe difficile esse ad diiudicandum, utri tropo locutio quaedam adnumeranda sit.

Cum ceteris poetis Seneca adtributa a corpore animalium petita tamquam substantiva generali vi praedita cum ipsis animalibus commutavit. ita volucris dicitur pro ave aut specie quadam avium HF. 756, 1209, Med. 628, HO. 686, [1043, 1071, 1378, 1632, 1654], pro equo cornipes Phaed. 809 et sonipes ibid. 1002, 1082, Oed. 142, Ag. 630. laniger Oed. 134 arietem, bidens ibid. 133 et 556 ovem significat, aprum saetiger Med. 644 et [HO. 1888]. denique pro monstro tauri simili corniger legitur Phaed. 1081. latinitatis aureae poetae tantummodo voces volucris sonipedis bidentis pro ave equo ove accipiunt neque usquam eae hac significatione positae cum his adpellativis coniunctae inveniuntur.[1]) cornipes laniger saetiger per se posita nusquam a Vergilio pro equo agno sue usurpantur, sed tantummodo cum adpellativis coniuncta. eandem legem Ovidius servavit duobus locis exceptis.[2]) in latini-

[1]) Volucris significatione avis tot locis apud Vergilium et Ovidium invenitur, ut exempla adscribi necesse non sit. sonipes legitur Verg. Aen. IIII 135, XI 600, 638 (Ovidius hoc verbo usus non est), bidens Verg. Aen. IIII 57, V 96, VII 93, XII 170, Ovid. Met. X 227, XV 575, Am. I 13, 15, Fast. IIII 935. apud Horatium tantum volucris et bidens legitur, hoc C. III 23, 14, illud Sat. I 8, 6.

[2]) Cornipes equus Verg. Aen. VI 591, VII 779, Ovid. Art. I 280, laniger Verg. Aen. III 660 (*oves*), VII 93 (*bidentis*), III 642 (*pecudes*), Georg. III 287 (*greges*), Ovid. Fast. I 334 (*ovis*), II 681 et IIII 715 (*pecus*), Met. XIII 781 (*pecudes*); III 585, VI 395, VII 540 (*greges*). uno loco VII 312 laniger substantivum est pro ariete dictum. saetiger Verg. Aen. VII 17, XI 198, XII 170, Ovid. Met. X 549, Fast. I 352 his omnibus locis cum adpellativo sus coniunctum, Met. XIIII 289 (*pecus*), uno loco Met. VIII 376 saetiger pro apro dictum est.

tatis vero argenteae sermone poetico omnes hae voces substantivorum vice funguntur, id quod testantur exempla e Senecae tragoediis supra adlata, conferas Silium Italicum, qui cornipedem et sonipedem pro equo plurimis locis adhibuit.[1]) cetera huius generis exempla sunt: pecudes pro equis Phaed. 1088, ales pro vulture Phoen. 318, (HF. 1207, coll. 759, Thy. 10), liquor pro lacrimis Oed. 955, pro aqua Thy. 107, [HO. 1039], idem significantes lympha Oed. 229 et latex HF. 711 aliisque locis. hanc vocem pro sanguine humano posuit Seneca solus Med. 810 *sacrum laticem percussa dedi*, sed hunc locum componenti fontis imago ei ante oculos versata esse videtur. huc etiam referendi sunt loci, ubi notio generalis pro nomine proprio (pro re singulari, non pro specie) dicitur, veluti Amor Phaed. 193 *puer* nominatur, Ariadne *virgo* Oed. 490, Agave et Ino *matres* Phoen. 17 et 24, Hesperides HF. 530 *sorores* (cf. Oed. 161 *turba sororum* de Furiis). eadem ratione duo sidera, quibus ursis nomen est, Med. 696 *ferae* adpellantur; idem Tr. 845 pro apro Caledonio, HO. 374 et 411 pro leone Nemaeo dicitur, *canis* pro Cerbero HF. 792, Phaed. 844, Oed. 172, [HO. 1680]. Ithacus quoque pro Ulixe dictum huc pertinet Tr. 38, 317, 927, 980, 1089, item Titan pro Sole, quod saepissime in Senecae tragoediis legitur. talia exempla cum antonomasia artissime cohaerent.

Iam agendum nobis erit de adiectivis per synecdocham usurpatis. adiectiva etiam per synecdocham adhiberi posse patet; saepissime enim adtributa, quae homini conveniunt, cum corporis partibus coniunguntur. talibus locis ex toto ad partem adiectivum transfertur. cohaeret autem hic adiectivorum usus cum illa synecdochae substantivi parte, quam p. 50 sq. pertractavimus. illic membra pro toto homine ponuntur, inprimis caput et manus, hic membra illa proprie usurpantur, adiectiva autem cum iis coniunguntur ad hominem pertinentia, qui membris commemoratis mente intellegitur. exempla, quibus haec ratio inest, frequentissima sunt nec fere in iis synecdochae vis sentiebatur. quodsi Phoen. 11 dicitur *patere caecum qua volet ferri pedem*, adtributum caecus ad Oedipum pertinens per synecdocham ad pedem eius refertur. simile exemplum habes Phaed. 979 sq. *Fortuna regit sparsitque manu munera caeca.* Fortuna caeca est atque inde manus eius caeca adpellatur. eadem ratione corporis partes pro homine ipso nobiles dicuntur HF. 625 *agnosco toros umerosque et alto nobilem trunco manum*, Thy. 685 *nobiles manus*; cf. HF. 469 (Hercules) *laude qui notas manus ad non virilem tympani movit sonum* et Ag. 739 *iacet ignobili sub dente leo.* item mentis vires corporis membris tribuuntur Tr. 885 *docta manu*, coll. Phaed. 1259, Tr. 217 et Med. 915 *rudem dextram*, HF. 692 *Pudor conscios vultus tegit*,

[1]) Vide Frankium p. 82.

Phaed. 521 *secura membra.* idem fit de animi adfectibus, veluti fortitudine Tr. 466 *fortes manus,* Phaed. 1258 *fortis dextra* (cf. HF. 471 *ferocem frontem*), superbia Med. 205 *superbas manus* (cf. Ag. 10 et HF. 58), Med. 253 *superbo pede,* Thy. 886 *vertice,* maestitia Tr. 85 *per colla maesta,* pavore Tr. 795 *timidum applicat latus,* Oed. 385 *aure non timida,* Tr. 617 *aure sollicita,* [HO. 1129 *aures attonitas,* 1944 *trepidas aures*], HF. 1299 (*cor*) *pectus sollicitum ferit,* cf. Oed. 791 *metuentes manus,* aviditate HF. 555 *avidis dentibus,* Thy. 2 *avido ore,* Tr. 18 *avidas manus,* Phoen. 423 *avidis pennis,* [HO. 1669 *avidum pectus*], furore Tr. 94, 940, [HO. 905] *furibunda manus,* Oed. 628 *enthea manu,* Ag. 209 *procacem manum,* voluntate Med. 104 *invita dextera,* patientia HF. 361 *aure patienti.* moribus quoque corporis partes exornantur HF. 272 *iusta manu,* Oed. 226 *pias manus,* Phaed. 714 *castum latus,* 707 *impudicum caput,* Ag. 986 *impium caput,* Oed. 935 et Ag. 900 *impiam manum,* Phaed. 172 *utero impio,* 1197 *pectus impium,* Thy. 460 *ventrem improbum*; cf. HF. 444. his adiungam Med. 248 *praesidis dextrae,* HF. 800 *victrice dextera* et duo participia simili modo adhibita, Tr. 147 *victa cervice,* Ag. 20 et Thy. 988 *ore decepto.*

Quaestione ad finem perducta iam res in eo est, ut metaphorae metonymiae synecdochae exempla, quae Seneca in tragoediis nova admisit, complexi qua ratione in iis formandis usus sit demonstremus. atque si metaphoram spectas, ille aut novas imagines induxit aut imagines sermone poetico iam frequentatas fortioribus tropis illustravit. ex ea re, quam mente sibi finxit, Oedipum oculos sibi effodisse, ut mortem tamquam produceret longioremque redderet, novi tropi fluxerunt funus et exequiae Phoen. 94 sq., quibus vita Oedipodis illustraretur, deinde manes de anima eius usurpati Phoen. 235. habetis hic artem Senecae propriam. cum enim Sophocles Oedipum, quod videntes non vidissent,[1] oculos tamquam punientem perbene finxisset, homo Latinus, qui summo adfectu legentium animos commovere studeret, poenam morte atrociorem invenit, mortem longam, caecitatem. eodem consilio, ut rem ad terrorem concitandum aptissimam propius ad aspectum tamquam admoveret, Seneca Oedipum oculos sibi effodientem cum homine mortuis libante comparavit per metaphoram Phoen. 175. Tantali studium saevissimam famem dentibus collisis supprimendi bene illustrat verbo alligandi Thy. 161. itidem ab eo inventa est imago a rebus, quae panno velan-

---

1) Oed. reg. 1271 sqq.

ὁθούνεκ᾽ οὐκ ὄψοιντό νιν,
οὔθ᾽ οἷ᾽ ἔπασχεν οὔθ᾽ ὁποῖ᾽ ἔδρα κακά,
ἀλλ᾽ ἐν σκότῳ τὸ λοιπὸν οὓς μὲν οὐκ ἔδει
ὀψοίαθ᾽, οὓς δ᾽ ἔχρῃζεν οὐ γνωσοίατο.

tur, petita HF. 710 (*locum*) *gravibus umbris spissa caligo alligat* nec minus imago caeli stellis picti Med. 310 et Thy. 834.

Sed alio quoque modo, ut supra adnotavi, Seneca metaphorae exempla novavit, eum dico, quod comparationes, in quibus ea posita est, in sermone Latino usitatas servavit fortioribusque tantum verbis illustravit. ita de sitis facibus loquitur Thy. 171, cum alii eam tantummodo ardentem faciant, Ovidius uno loco (Met. VIII 846) flammam adpellet. illustrius adeo hoc est exemplum. saepissime poetae aestum calorem flammas ignes similia ad amorem transferunt, nemo vero est, qui eum vaporem nominaverit, quae metaphora plane inusitata Phaed. 640 invenitur. Ag. 93 legitur *turris pluvio vapulat Austro.* ceteri poetae talia describunt verbis feriendi et verberandi, Seneca verbum fortius vapulandi ex vulgari sermone sumptum inferre ausus est. fato, fortuna, casu res humanas agitari, versari, talia saepius invenias in sermone poetico, sed verbum rotandi, quod rem magis sub legentium aspectum subicit, Senecae proprium ac nonnullis locis usitatum est: Phaed. 1123, Ag. 72, Thy. 618, HO. 703, [715]. hoc loco commemorandum est verbum flandi HF. 183 singulariter de fatis dictum, quae homines tamquam venti huc illuc agitant, ad quod conferas vocem turbinis de fortuna usurpatam aliaque. locum aliqua re cingi, veluti insulam mari, usitatissima est locutio, rarius verbum coronandi ad loca transfertur (cf. p. 32); Seneca inusitatam ac fortiorem translationem usitatae praelaturus, ut insulam, quam mare circumfluit, describeret, Oed. 488 verbo rediimiendi usus est, quod nisi propria significatione de rebus, quae vinculo aut ramo vinciuntur, dici non solet. maxime autem hoc Senecae tropos fortiores reddendi studium ex his locis elucet, ubi singula pugnantium militum munera ad alias res transferuntur, veluti tela mittere, bellum canere, arma deponere. sic cum alii poetae de ventorum bellis tantum loquantur (cf. p. 9), Seneca Ag. 477 eos tela mittentes induxit; pro bellum movendo idem dixit Thy. 553 bellum canere de ira. Ag. 228 sq. legimus *quid terga vertis, anime, quid primo impetu deponis arma?*, i. e. quid perterreris, quid trepidas? haec igitur ex re militari poeta desumpsit. eodem modo a iuris scientia verba mutuatus est, quae pro usitatis locutionibus poneret eoque fortiores redderet translationes. ita legimus Med. 320 *leges scribere ventis,* tamquam eae leges in aere inscriptae in conspectu populi ponantur. porro iuris consulti dicere solent: aliquem heredem, tutorem scribere (i. e. constituere), servo libertatem, alicui legatum (i. e. decernere, constituere per iuris formulas). hoc vocabulo forensi Seneca significatione generali constituendi, praestituendi usus est HF. 190: *scriptum proferre diem.* verbum transcribendi, quod tamquam sollemnis locutio de colonis est, qui in aliud oppidum deducuntur, Seneca solus translata significatione admisit Thy. 13

in quod malum transcribor? alia verba, ex variis hominum inter ipsos rationibus sumpta, quibus ille usus est, ut metaphorae vis augeretur, haec sunt: Ag. 718 sq. verba custodire i. q. in ore inclusa tenere, Tr. 540 imperare de tauro dictum — Ovid. Met. V 327 (coll. VIII 882) gregis ducem illum nominaverat, Seneca imperium boum ei tribuit —, Ag. 225 mentem pacificare pro placando. addo iam verba vel adiectiva, quae paullulum usitatam rationem excedunt. locutio moras nectendi apud poetas et scriptores latinitatis argenteae in usu versabatur, Seneca uno loco Med. 281 dixit *moras serere.* mentem innectere legimus Phaed. 416, quod est amoris tamquam laqueis captare, usitatius in ea re verbum vinciendi erat. fortunam influere Seneca solus admisit Thy. 536, ceteri usurpant de eadem re verbum adfluendi. volutare cum obiecto 'somnia' coniunctum excepto uno loco HF. 1083 nusquam invenitur. adiectivum rigens ad animum translatum Phaed. 413, Thy. 304 Senecae proprium est. ceteri aut substantivum rigoris aut adiectivum rigidus ita usurpant. nodosa verba apud Senecam Oed. 101 leguntur, quibus ambiguus et obscurus sensus inest, ceteri difficultatem cuiuslibet rei nodum dicunt. Oed. 373 bos innupta dicitur: simili imagine poetae vel scriptores rei rusticae saepe utuntur, adiectivum illud ad animalia translatum nusquam exhibent. aliquot locis Seneca solus verba cum praepositionibus coniuncta eadem translata significatione usurpavit, qua antecedentes poetae verba quae nominamus simplicia, veluti Med. 650 *perarare pontum*; apud Vergilium, ut exemplum proferam, legimus Aen. II 780 *maris aequor arare.* HF. 105 sq. Iuno, quae Herculem in furorem impellere vult, dicit: *acrior mentem excoquat quam qui caminis ignis Aetnaeis furit.* usitatissimum est verbum coquendi ad animum translatum, verbum compositum Senecae proprium est. fata proculcare, quod extat Phoen. 193, comparandum est cum Ovidiano illo Trist. V 8, 10 *fata pede imposito calcare.* his igitur verbis cum praepositionibus compositis Seneca vim orationis augere atque amplificare studuit. uno loco tropum ipsum pro imagine induxit. cum enim Ovid. Met. III 685 delphinum in aqua natantium motus cum choro vel saltatione comparaverit, ille Ag. 454 piscium coetum per metaphoram chorum vocat.

Metaphoras etiam, quae in usu erant, interdum longius extendit quam usitata erat ratio. singulariter Phaed. 1275 Theseus domum, quae et filii et uxoris morte duplicem ac gravissimam tamquam plagam acceperit, acerbam adpellat, cum apud ceteros haec vox tantummodo de rebus, quas difficile perferre ac molestum est, dici soleat, de labore imperio morte alius similibus. verbum errandi, in quo tum etiam, cum translata significatione ponitur, motus quidam auditur, Seneca singulariter usurpavit Phaed. 1257 partes lacerati Hippolyti corporis, quae

confuse ac permixte in ferculo iacent, *errantes* adpellans. singularis quoque verbi errandi usus est his locis: Thy. 473 *errat hic aliquis dolus* i. e. versatur, subest, et similiter HF. 1193 *hic errat scelus.*

De animi adfectibus Seneca rationem usitatam excedens verba incubandi et mergendi usurpavit Phaed. 99 *incubat maestae dolor*, 268 *incubat menti furor* et Oed. 798 *mersus timor*, 924 *mersus alte magnus exundat dolor.* non minus singulariter dictum est Med. 902 *incumbe in iras.* sanare significatione expiandi uno Senecae loco HF. 1262 *sanandum est scelus* legitur, ceteri hoc verbum eadem ratione nusquam admiserunt. quodsi Phaed. 10 legitur: *nemus alta texitur alno*, adnotandum est hoc verbum ab antecedentibus Romanorum poetis de iis rebus tantummodo usurpari, quae hominum manibus componuntur. sed conferas quae de hac re p. 33 diximus. denique addam ingerere significatione addendi solum a Seneca admissum esse Thy. 731 *scelus sceleri ingerit.*

In metonymia luxurians illud Senecae ingenium clare conspicitur. etenim aut nova plane admisit exempla aut in usum recepta verbis inusitatis exornavit aut nominibus, quae alii poetae per metonymiam adhibent, paullum mutatam significationem subiecit. iam habes exempla ab eo innovata: subtilius conformatus est locus Thy. 282 sq. *ingesta orbitas in ora patris.* orbitas enim dicta est de liberorum corporibus, quae Thyesti a fratre adposita eum tamquam orbum reddiderunt. Thy. 492 iidem Thyestis liberi *generis invisi indoles* nominantur, quem locum Senecae imitator in componendo HO. 904 ante oculos habuisse videtur. inprimis verba Oed. 869 sq. *in Tartara ima, rector umbrarum, rape retro reversas generis ac stirpis vices,* quibus Oedipus se ipsum designat, propriam Senecae artem eiusque studium inusitatissima quaeque proferendi illustrare possunt. peculiare etiam hoc eius est artificium, quo homines sua nomina adferentes inducit, ut animi vel mentis facultates suas declarent. ita Ulixes Tr. 613 sq. dicit: *nunc advoca astus, anime, nunc fraudes dolos, nunc totum Ulixen,* quo loco hic se ipsum tamquam insigne exemplar hominis dolosi pro ipsa calliditate nominat. similiter compositus est locus Thy. 937, ubi Thyestes dicit: *veterem ex animo mitte Thyesten.* hoc loco quoque te admoneam usus Senecae proprii atque saepissime ab eo repetiti, quo animalia, quae Hercules vicit, per metonymiam labores nominantur, quod ei laboris causa fuerint (vide p. 39). Oed. 349 ictus pro securi, qua boves caeduntur, positi sunt. Med. 576 (*dona*) *diris inlita ac tincta artibus* dirae artes intellegendae sunt venena arte et carminibus incantatis composita. ibid. 149 *Malea longas navibus flectens moras* dicitur pro Malea flectens viam navibus, qua in re morae positae erant. deinde adnotandum est libentissime Senecam instrumenta aut pro re effecta aut pro hominibus, qui iis utuntur, per meto-

nymiam posuisse. ita singulariter dixit habenas pro cursu Thy. 841, frena pro auriga Ag. 940 — post Senecam solus Valerius Flaccus VI 95 simile praebet exemplum, habenas dico pro equitibus —, remos pro remigibus Med. 367, ad quod cf. Sil. It. VI 362. huc etiam pertinet sceptra pro rege saepius iteratum HF. 502, Phoen. 584, Oed. 691, Ag. 60, quod eadem significatione usurpatum apud poetas Senecam antecedentes non invenitur. denique adiungo laurus tamquam signum oraculum Apollinis repraesentantes Oed. 16. restat ut admoneam Senecam ad loca adtributa a dominis eorum petita adponere solere, veluti Tr. 848 *Pylon senilem* dixit, quia Nestor senex eius urbis imperium obtinebat, et v. 857 Ithacam *saxis dolosis nocentem* Ulixem spectans adpellavit.

Metonymiam in usum receptam inusitatis verbis instruxisse Senecam demonstrare possumus iis exemplis, quae leguntur HF. 1195 *quid illa puerili madens harundo leto? tincta Lernaea est nece.* pro sanguine enim caedes dici solet ab omnibus poetis, vox necis autem uno tantummodo loco legitur apud Ovidium (Art. II 714), letum Seneca unus ita admisit. eo maioris ponderis hic locus est atque aptissimus ad illustrandam novi proferendi cupiditatem, quia in uno eodemque versu duo inusitata verba cumulantur.

Ut in metaphora ita in metonymia Seneca saepius usitatis exemplis paullum mutatam significationem subiecit. quodsi Tr. 374 soles pro vitae diebus ponuntur vel HF. 759 mensae pro cenante, in talibus exemplis minus momenti inesse credam. sed magis usum ab omnibus poetis receptum excedit substantivum ora pro certo effato dictum Tr. 358 (cf. p. 36). hoc loco quoque adnotem saepius voces per metonymiam adhibitas cum verbis coniungi, quae tropum fortiorem reddant. plaga pro vulnere est metonymia sermone poetico firmata, sed haec vox ita usurpata plerumque cum talibus coniungitur verbis, quae ut ad vulnus pertinent ita a propria significatione plagae non prorsus abhorrent (cf. p. 38). contra si legimus Oed. 141 *turpis e plaga sanies profusa* vel ibid. v. 346 *lentus altas irrigat plagas cruor*, multo gravior est metonymia. item cum Vergilius dicit Aen. VII 388 *quo thalamum eripiat Teucris taedasque moretur*, thalamum hoc loco pro sponsa dictum esse statuendum est, sed locutio thalamum i. e. sponsam eripere magis in universum est pronuntiata idemque valet atque caelibem aliquem reddere, impedire, quominus coniugio fruatur. aliter res se habet Phaed. 1216, ubi Theseus dicit (*patuit ad caelum via,*) *ut concremarem prolis ac thalami rogos?* hic thalamus corpus coniugis mortuae intellegendus est. idem cadit in Oed. 55 *una fax thalamos cremat.* pompa atque adfectatio, qua utitur Seneca, elucet quoque ex loco Tr. 987, ubi legimus arma Achillis pro Ulixe. hoc loco enim metonymia illa, qua res pro possidente ponitur, usus est, ut Hectoris matrem armis Achillis

opponere posset, quo simul occasio historiae fabularis scientiam ostentandi ei data erat.

Ex synecdochae exemplis unum cum Senecae ratione supra illustrata, in tropis usu corroboratis aliquid mutandi, quo insigniores fiant, cohaeret, dico locum HF. 912 *populea nostras arbor exornet comas.* nusquam enim apud ceteros poetas ad arboris nomen, quod pro ramo dicitur, adpellativum adpositum invenitur. cetera quae Seneca admisit nova magis fortuita sunt quam consilio quodam prolata, veluti colus pro lana HO. 668, nemus de arboris cacumine Tr. 543, idem de lignis (usitatius enim est silva) HF. 1216, latex pro sanguine Med. 810.

Iam res in eo est, ut paucis disputem de universa ratione, qua Seneca in tropis admittendis usus est. qua in re primum adnotandum est eum exempla, quae poetarum usu recepta erant, iterantem modum fere excessisse (conferas quae p. 50 sq. de capite et manu pro toto homine dictis scripsi) eaque inprimis saepius repetita admisisse, quae rebus terrorem moventibus describendis inservirent. ita solum vel tumulum libentissime cruorem sitientia induxit (cf. p. 20), aut mare solum flammas mugientia vel gementia fecit (cf. p. 22 et 24). deinde eas quae in prosa tantummodo usitatae erant oratione translationes in sermonem poeticum recepit, veluti adiectivum surdus HF. 576, quod apud architecturae scriptores tamquam verbum sollemne translate usurpatum idem valebat ac sonum supprimens, deinde verbum amputandi Med. 530 (*longa colloquia amputa*), quod translata significatione in prosa tantum oratione legitur. Cicero Curtius Quintilianus verbum excutiendi significatione temptandi, examinandi usurpant: Seneca idem verbum exhibet HF. 580 idque singulariter cum obiecto personali coniunctum: *excutere reos.* denique huc pertinet verbum proculcandi, quod translatum legimus Phoen. 193 et Suet. Vesp. 5.

Seneca quoque tropis, qui in ceterorum poetarum carminibus singulares sunt, usus est; nam quo quid minus usitatum erat, eo magis ei placebat. ita locutionem *nebula pulveris* a Lucretio V 253 prolatam iteravit Phoen. 396. cum Catullo, qui solus (66, 62) hunc tropum exhibet, capillos abscisos *capitis exuvias* nominat Phaed. 1181. locutionem *viridis sanguis* Oed. 297 ex imitatione Soph. Trach. 1055 et Eur. Hec. 127 (*χλωρὸν αἷμα*) fluxisse supra diximus. facinus, quod legimus Phoen. 363 de capite Penthei a matre avulso et Thy. 662 de sceleris reliquiis dictum, uno loco Ovidiano Met. VII 423 comprobari potest. de nece denique pro sanguine usurpata vide p. 61.

Multa quae in Senecae tragoediis legimus in libris eius ad philosophiam spectantibus repetita esse vidimus. hoc loco ea tantum colligam quae a Seneca solo admissa in utroque operum genere inveniuntur.

ex talibus enim, dummodo id opus sit evincere, tragoedum et philosophum unum eundemque hominem fuisse, gravissimum profecto argumentum capi potest. verbum transcribendi legitur Thy. 13 *in quod malum transcribor* et eadem translata significatione Epist. I 4, 2 (*cum*) *te in viros philosophia transcripserit.* Senecam solum res humanas fato rotatas finxisse supra p. 58 adnotavimus. idem fere legitur Quaest. nat. II 35, 2 *sic ordinem fati rerum aeterna series rotat.* Ag. 93 Seneca turrim vento vapulantem induxit, similiter Quaest. nat. VI 7, 6 dixit *multa quae procul a mari fuerant subito eius accessu vapulaverunt.* Thy. 536 legimus *influentis fortunae,* Epist. L 5 *tantum bonum influere.* cum ceteri verbum excidendi ea vi, ut idem significet quod animo defici, absolute ponant, veluti Ovidius Art. I 539, Seneca solus id cum dativo pronominis reflexivi coniunxit et Phaed. 590 (*quam bene excideram mihi*) et de ira III 14, 1. denique duas locutiones adferam, quibus Seneca libentissime usus est, Thy. 645 *contumacem populum habet sub ictu,* in libris ad philosophiam spectantibus de ben. II 29, 4 *quam nihil sit mortale non sub ictu nostro positum,* de consol. ad Marc. 9,5 *tua innocentia sub ictu est,* et Thy. 430 sq. *cur bonis tantis sinum subducis?,* quocum conferenda sunt *sinum laxa* Epist. CXVIIII 1 et *sinum expedire* de vita beata 23, 5.

Restat ut, quod iam alii demonstraverunt, paucis ostendam ex poetis posterioribus inprimis Statium Senecae tragoedias imitatum esse. quae res haud mira nobis videbitur, si reputaverimus Statium Thebaide eandem materiam pertractavisse, quam Seneca Phoenissis et Oedipode tragoediis explicavit. quam ob rem has fabulas illum inprimis respexisse intellegitur. quod his comprobabitur exemplis: Oed. 948 sq. (cf. Phoen. 169) Seneca Oedipum ea de causa oculos sibi effodientem induxit, ut se tamquam longa morte puniret. non solum hanc rem Statius recepit, qui Theb. I, 48 dixit: (*Oedipodes*) *longa animam sub morte tenebat,* sed etiam unum ex tropis singularibus ad eam rem illustrandam a Seneca inventis (cf. p. 57), funus dico, de eadem re Theb. I 77 usurpavit. quod legimus Oed. 214 *ambage flexa* de oraculis dictum Statius quoque de Lai vaticinio adsumpsit Theb. IIII 645. Med. 392 legitur *exundat furor* (cf. Oed. 924 *exundat dolor*), similia habes apud Stat. Theb. X 609 *exundanti permisit verba furori* et 166 *exundant stimuli* i. e. furor. cum Oed. 798 *mersus timor* et 924 *mersus dolor* velim conferas Stat. Silv. V 1, 201 *mersumque in corde dolorem saevus alit,* cum Med. 616 *exigit poenas mare provocatum* Stat. Silv. II 7, 35 *Baetim, Mantua, provocare noli.* mortem alicui incubare Seneca dicit Thy. 401, Stat. Theb. X 302 sq. similiter: *tali miseris deus aliger umbra incubat.* dividere de uno qui plura munera exequitur dictum extat Tr. 960 *in tot oscula … dividere matrem* et Stat. Theb. II 588 *et partes pariter divisus in omnes hos obit atque illos.* Med. 651 et Stat. Theb. III 408 denique maris aqua

fons nominatur; illo loco legimus *perarate pontum fonte timendo,* hoc *Sol equos rutilamque lavabat Oceani sub fonte comam.*

His quae modo de Statio exposui addam pauca de Claudiano, qui poesim ea aetate iam corruptam ad vetera exemplaria revocavit. is igitur praeter alios et Statium et Senecam imitando expressit. cuius rei velim haec inspicias exempla. *mentem pacificare* legitur Sen. Ag. 225, similiter translatam significationem hoc verbum habet apud Claudianum in Rufin. II praef. 20 *Pieriis aures pacificare modis.* Seneca Ag. 390 dixit (Delus nunc in mari affixa) *respuit auras,* ad quod conferas Claud. de rapt. Pros. I 148 sq. *caput inde Pachyni respuit Ionias praetentis rupibus iras.* HF. 163 legitur *urbibus errant trepidi metus* et Thy. 965 sq. *vagus intra terror oberrat*; similis est Claudiani in Rufin. II 93 sq. locus: *oberrat intra tecta timor.* sed haec sufficiant; non enim nostrum hoc loco esse puto, ut quomodo Claudianus Senecae fabulas imitatus sit accuratius inquiramus.

QUAESTIONES

DE

THEOCRITI CARMINE XXV

ET

MOSCHI CARMINE IIII.

SCRIPSIT

CAROLUS PRINZ.

Magna cum iam dudum esset controversia inter viros doctos de carmine, quod in Theocriteis est vicesimum quintum, cum alteri a Theocrito id profectum esse contenderent, alteri negarent, paucos ante annos Hillerus priore quam diximus sententia reiecta huius carminis atque illius, quod inter ea, quae vulgo Moscho adtribuuntur, quartum locum obtinet, eundem esse auctorem coniecit, hominem nobis quidem ignotum, sed haud dubie Alexandrinae quae vocatur aetati adsignandum. quam rem libelli, qui 'Beiträge zur Textgeschichte der griechischen Bukoliker' inscribitur (prodiit is Lipsiae MDCCCLXXXVIII) p. 57—67 comprobare studuit. ad hanc igitur sententiam, quae mihi firmis argumentis destituta esse videtur, percensendam atque examinandam inprimis ea re commotus sum, quod probatam eam videram Susemihlio in hist. litt. graec. aet. Alex. I 215[1]) et nuperrime L. Genthero, qui item Hillerum secutus fusius de his poematis disputavit in lib. schol. gymnasii Luckauensis anno MDCCCLXXXXI edito. nam iure dubitaveris, num re vera Hilleri sententia tantam habeat probabilitatem, quantam viris illis doctis habere visa est. quam ob rem paucis praemissis denuo mihi in carmina illa accuratius inquirere liceat.

Ac primum quidem meum esse censeo quae ante Hillerum a viris doctis de his poematis iudicia prolata sunt sub uno tamquam conspectu proponere. carmen Megara inscriptum ex quo tempore Moscho adtributum est ab A. Metkerkio (a. MDLXV) semper Moschi est habitum. dubitavit sane de auctore Ahrensius Phil. XXXIII 605 sqq.; Theocrito carmen adscripsit Hempelius in dissertatione 'Quaestiones Theocriteae' inscripta, quae edita est Kiliae a. MDCCCLXXXI. carmen quod est

[1]) Quo loco haec dixit: 'eum qui carmen XXV atque eum qui carmen sine ulla causa inter Moschi poemata relatum, quod Megara dicitur — hoc autem eodem modo quo illud non integrum est, sed carminis fragmentum — composuit, veri simile est unum eundemque hominem fuisse, poetam nobis ignotum aetatis Alexandrinae, quem utrumque carmen ex Herculis historia depromptum imperfectum reliquisse a vero non abhorret.'

inter Theocritea XXV pro spurio iam habuit Ruhnkenius [praef. ad hymn. Cer. p. 11], Brunckius [Anal. I 357], L. C. Valckenarius [in Theocr. ed. II 234], Dawesius [Misc. crit. p. 102], Eichstadtius [Adumbrat. quaest. de carm. Theocr. indole p. 42], Greverus ['Zur Würdigung, Erklärung und Kritik der Idyllen Theokrits', Oldenburg MDCCCXXXXV], Ahrensius [Bucol. graec. reliq.], C. Hartungius [Quaest. Mosch. Bonnae MDCCCLXV]. qui cum in eo consentirent carmen abiudicandum esse a Theocrito, varias tamen de auctore eius sententias protulerunt. veluti Valckenarius huius et carminis XXIIII et 'Megarae' eundem auctorem esse coniecit, Moschum, id quod postea C. Hartungius quoque demonstrare studuit. Reiskius [Animadv. p. 309] adsentientibus Heynio et Wartono carmen XXV ad Pisandrum auctorem rettulit, alii, ut Koeppenius ['Griech. Blumenlese', I 147 coll. III 119], Schlegelius ['Geschichte der Poesie der Griechen und Römer' p. 203] de Panyaside cogitaverunt. quae coniecturae omnes fere inde fluxerunt, quod viri illi docti hoc carmen partem veteris cuiusdam Heracleae esse arbitrati sunt. sed de Pisandro vel Panyaside auctore cogitari posse recte negavit G. Hermannus in ephemeride stud. antiqu. 1840 nr. 119 p. 969 (opusc. VIII 315 sqq.), quod carmen aliquanto recentioris aetatis colorem proderet, id quod postea ab omnibus concessum et nuper a Brinkero in dissertatione 'De Theocriti vita carminibusque subditiciis' (Rostochii MDCCCLXXXIIII) p. 66 et 67, quo loco plura ad tempus, quo edylium XXV ortum esset, definiendum diligenter congessit, comprobatum est. ac re vera tam multa in eo carmine inveniuntur, quibus ante Alexandrinorum tempora id scriptum esse non posse declaratur, ut omnia adferre languidum sit. addam tantum ea, quae Brinkerum fugerunt: verbum *φυτοσκάφος* v. 27 ante Theocriti tempora non inveniri (cf. Apoll. Rhod. I 1172, Anth. Pal. VI 102, VII 9; 384, 7 Themist. 422, 22; 423, 19 ed. D), idem valere de vocabulis *βαρύφρων* v. 110 (cf. Apoll. Rhod. IIII 731, Anth. Pal. XII 141, Lycophr. 464, Opp. Hal. IIII 174) et *νήριθμος* v. 57 (cf. Lycophr. 415), *ἀροτρεύς* v. 1 (cf. Arat. 1075, 1117, 1125, Apoll. Rhod. I 1172, Nic. Ther. 4, Bion. 4, 8, Nonn. Dionys. XXXXI 27, Opp. Cyn. II 486, Agathias Anth. Pal. V 79, 1). itaque carmen, quod a Theocrito abiudicandum esse sibi persuaserant, alii illius aetatis scriptori adtribuerunt (veluti Dawesius l. c. id a Callimacho vel a nebulone aliquo eiusdem aetatis scriptum esse censuit), alii ad rhapsodum Alexandrinum rettulerunt, ut Eichstadtius l. c., Greverus l. c., Gentherus l. c., quorum sententiam, cum tale hominum genus omnino non extiterit, nullam habere probabilitatem recte Hermannus l. c. monuit. idem vir doctus opinionem eorum, qui hoc carmen partem Heracleae cuiusdam esse suspicati erant, tam gravibus argumentis refutavit, ut de hac re verba facere mihi supervacaneum esse videatur.

Sed fuerunt etiam, qui huius carminis patroni existerent nihil nos impedire rati, quominus id ut Theocrito dignissimum principi illi poetarum bucolicorum adtribueremus. in quibus primus nominandus est Wartonus, deinde ipse Hermannus, qui vituperatoribus illius carminis adeo non adsensus est, ut l. c. 'tanta in eo arte omnia ad vivum expressa esse' adfirmaret, 'ut scriptor ille in praestantissimis esset poetis numerandus'. quem postea secuti sunt cum alii tum Fritzschius (in ed. maior. II 166 sqq.), Hempelius,[1]) Brinkerus, Mertensius (in Gentheri commentationis censura, quae inest in ephemeride 'Berliner philol. Wochenschrift' inscripta a. MDCCCLXXXXII p. 103). et cum his etiam Hillerus fecerat in Fritzschii Theocriti ed. III, qui haec adnotavit: 'argumenta ex ipso carmine petenda, quibus Theocritum id composuisse evincatur, non extant. at vero neque extant argumenta graviora, quibus eum id scripsisse negare cogamur.' quam sententiam paulo post in libello supra commemorato, p. 66 adn. 2, in eo positam fuisse fassus, quod quomodo carmina illa libris manuscriptis tradita essent, non satis novisset, prorsus aliud de hoc carmine iudicium protulit. quod quibus argumentis stabilitum sit, infra ita exponam, ut singula quid ad sententiam eius confirmandam valeant simul inquiram.

Ac primum quidem Hillerus nullam esse codicum auctoritatem demonstrat ad carmen XXV a Calliergo *Ἡρακλῆς λεοντοφόνος* inscriptum Theocrito adtribuendum.[2]) sed quo facilius argumentandi ratio, quam in hac re iniit, intellegatur necesse est paucis codices, quibus hoc carmen traditur, describere. quorum in numero maioris momenti sunt codices nr. 23, D, M, m.[3]) liber D, Parisinus nr. 2726 chart. saec. XIIII, in quarta et ultima parte ab antecedenti nonnullis paginis vacuis separata haec habet carmina Theocriti: XXII inde a v. 69 (titulus periit), XXVI (inscr. *Λῆναι· Βάκχαι· Δωρίδι*), XXVIII (inscr. *Ἀλακάτα*), Mosch. IIII (init. *Μεγάρα λέγει τὴν πενθεράν*), Theocr. XXV (inde a v. 85, ac deinde vv. 1–84. ante versum 85 legitur: *Ἐπιπώλησις*, ante v. 1: *Ἡ ἐκλογὴ αὕτη πρὸ τῆς ἐπιπωλήσεως τέτακται*), Mosch. III (inscr. *Θεοκρίτου Ἐπιτάφιος Βίωνος βουκόλου ἐρωτικοῦ*). — liber nr. 23: Vaticani nr. 1825 (*B*) et 1824, chart. (saec. XIIII). 'Theocritea, quae in extremo codice nr. 1825 leguntur, olim cum iis, quae sunt in prima parte codicis nr. 1824, unum corpus effecerunt.' is codex, cuius haud parva pars interiit, nunc praeter carmina Theocritea I–XVI continet haec: Theocr. XXV (vv. 1–6, 105—200, vv. inde a 247; inscr. *Ἡρακλῆς πρὸς ἀγροῖκον*), Mosch. IIII vv. 1–13

[1]) Hempelius in hoc libro Theocritum et Moschum unum eundemque auctorem esse statuit, quam ob rem 'Megaram' quoque ad Theocritum referendam esse censet; cf. p. 32

[2]) Praeierat in hac re explicanda Ahrensius Phil. XXXIII 594 sqq.

[3]) Isdem quibus Hillerus codicum siglis utor. descripsit codices Ahrensius in ed. a se curatae praefatione.


(inscr. *Μεγάρα γυνὴ Ἡρακλέους*), III vv. inde a 35 (titulus periit), Theocr. XXII vv. 92—185 (titulus periit), Mosch. I vv. inde a 18 (titulus periit), Theocr. XVIIII (inscr. *Κηριοκλέπτης*), Bion. I (inscr. *Ἀδώνιδος Ἐπιτάφιος*), carmen quod inscribitur *Εἰς νεκρὸν Ἄδωνιν*, Theocr. XXIII vv. 1—55 (sine titulo). — codex M, Paris. 2832 chart. saec. XIIII praeter Theocritea I—XVI haec habet carmina: Theocr. XXV (inscr. *Θεοκρίτου Ἡρακλῆς πρὸς ἀγροῖκον· Δωρίδι· διηγηματικόν*), Mosch. IIII (inscr. *Θεοκρίτου Μεγάρα ἡ γυνὴ Ἡρακλέους· Δωρίδι· διηγηματικόν*), Theocr. XVII (inscr. *Θεοκρίτου ἐγκώμιον εἰς Πτολεμαῖον· Δωρίδι*), Mosch. III (inscr. *Θεοκρίτου ἐπιτάφιος Βίωνος βουνόμου ἐρωτικοῦ· Δωρίδι*), Theocr. XXII (inscr. *Θεοκρίτου Διόσκουροι· κοινῇ Ἰάδι· ἐγκωμιαστικόν*), XVIII (inscr. *Θεοκρίτου ἐπιθαλάμιον Ἑλένης· Δωρίδι*), XX (inscr. *Θεοκρίτου βουκολίσκος· Δωρίδι· διηγηματικόν*), XXI (inscr. *Θεοκρίτου ἁλιεῖς· Δωρίδι· διηγηματικόν*), Bion. I (inscr. *Θεοκρίτου Ἀδώνιδος ἐπιτάφιος· Δωρίδι*), Theocr. XXIII (inscr. *Θεοκρίτου ἐραστής· Δωρίδι· διηγηματικόν*), Bion. II (inscr. *Θεοκρίτου ἐπιθαλάμιον Ἀχιλλέως καὶ Δηϊδαμίας*), deinde carmina quae inscribuntur *Σῦριγξ* et *Βωμός* et iterum *Σῦριγξ*. Triclinium hunc codicem recensuisse recte animadvertit Ahrensius. — in libro m (9 apud Ahrensium) Vaticano 915 saec. XIIII in. carminibus Theocriteis I—XVII, quorum partes nonnullae interciderunt, haec sunt adiuncta: Theocr. XXII (inscr. *Θεοκρίτου Διόσκουροι· κοινῇ Ἰάδι*), XXV (sine titulo). — e codice nr. 23 fluxerunt codices w et nr. 11, id quod Hillerus demonstravit l. c. p. 10 et 11. codex w, Laur. Conv. soppr. 15 = Abb. Flor. 2823, 1ᵃ (saec. XV) praeter Theocritea carmina I—XVI continet Theocr. XXV, Mosch. IIII, Theocr. XVII, Mosch. III (titulis non adiectis). in codice 11, Vaticano 1311 saec. XV, quem e codice nr. 23 descriptum esse supra diximus,[1]) insunt Theocriti carmina I—XV, XVIII, deinde haec: Mosch. III (inscr. *Ἐπιτάφιος Βίωνος βουκόλου ἐρωτικοῦ*), Theocr. XXVIII (sine titulo), XXVIIII (vv. 1—8, sine titulo), Theocr. XVI (inscr. *Ἐγκώμιον εἰς Πτολεμαῖον*), XXV (inscr. *Ἡρακλῆς πρὸς ἀγροῖκον*), Mosch. IIII (vv. 1—13 inscr. *Μεγάρα γυνὴ Ἡρακλέους*), III (vv. inde a 35, titulus periit), Theocr. XXII (vv. 1—44, 92—185, inscr. *Θεοκρίτου Διόσκουροι· κοινῇ Ἰάδι*), XVIII (vv. 52—59, titulus periit), XX (inscr. *Θεοκρίτου βουκολίσκος*), XXI (inscr. *Θεοκρίτου ἁλιεῖς*), Mosch. II (inscr. *Ἔρως δραπέτης*), Theocr. XVIIII (inscr. *Κηριοκλέπτης*), Bion. I (inscr. *Ἀδώνιδος ἐπιτάφιος*), carmen *Εἰς νεκρὸν Ἄδωνιν*, Theocr. XXIII (inscr. *Ἐραστής*), carmen quod dicitur *Ἐπιθαλάμιον Ἀχιλλέως καὶ Δηϊδαμείας*, Theocr. XXIIII (vv. 1—87, sine titulo). — e codice M descriptus est codex 18, Vaticanus 1379 saec. XV, in quo desunt Theocriti carmina XVII et XVIII

---

[1]) Cf. Ahrensium in Phil. XXXIII 591 et Hillerum in Ann. phil. a. MDCCCLXXXVI p. 813 sqq.

et semel scriptum est carmen *Σῦριγξ*, deinde codex K Parisinus 2512 (A) saec. XV ex. et codex c, Ambrosianus B 75 saec. XV, in quibus eadem carmina, quae liber M complectitur, ordine non mutato leguntur.

Qui codices qua inter se coniuncti sint adfinitate rectissime Hillerus in libro saepe iam commemorato exposuit et in extrema huius disputationis parte codicum, quorum ad carmen XXV recensendum ratio habenda est, stemma confecit, quod hic mihi adumbrare liceat.



littera *Φ* designat Hillerus archetypum codicum nr. 23 et M, littera Φ^m archetypum codicis *Φ* et m, littera *Π* archetypum codicis D et deperditi codicis Patavini, cuius lectiones ex editione Iuntina et Calliergiana et codice D restituere possumus. conferas quaeso quae dixit p. 4, adn. 3 'littera *Π* igitur significatur, si Ahrensius recte librum D ex cod. Pat. fluxisse statuit, hic codex, si vero cod. Pat. et D ex communi fonte fluxerunt, hic fons indicatur.' quibus expositis iam facile Hilleri argumentationem perspiciemus. in omnibus enim codicibus praeter codicem M eosque, qui ex eo descripti sunt, carmini XXV nomen Theocriti praescriptum non est. in codice M autem Theocriti nomen omnibus carminibus praescriptum est, etiam iis, quae sine dubio non sunt Theocriti, velut *'Επιτάφιος 'Αδώνιδος* et *'Επιθαλάμιον 'Αχιλλέως καὶ Δηϊδαμείας*. deinde addita est significatio dialecti et generis cuius quidque carmen esse videbatur. denique cum omnia carmina adnotationibus ad stichometriam quae vocatur pertinentibus a Triclinio instructa omninoque ab eo recensita sint, magnam habet probabilitatem quod Hillerus suspicatus est, titulos quoque carminum a Triclinio esse expletos. quid multa? cum nomen Theocriti in codice nr. 23 (et cod. nr. 11) et codice D ante carmen XXV non inveniatur,[1]) Hillero concedendum est illud codicis M testimonium non magnae auctoritatis esse.

Quae cum ita sint, in hoc carmine ad Theocritum auctorem referendo codicibus niti iam non possumus. at ne quis temere hoc argumentum tam grave esse putet, ut carmen Theocrito adscribere non liceat,

[1]) In cod. m et w carmini titulus non est adiectus.

pauca addam ad illa codicum testimonia recte aestimanda. primum si codicis D rationem habemus, in ultima illa parte nomen Theocriti nulli carmini praescriptum legimus, ne ei quidem, quod quin Theocriti sit dubium non est, dico carmen XXVIII. nam Moschi carmen III ex alio fonte, e codice Parisino nr. 2802 litt. I insignito fluxisse recte dixit Ahrensius l. c.[1]) nihil igitur certi inde concludi potest, quod in cod. D carmen XXV Theocriti nomen non prae se fert. deinde codex 11 accurate, ut videtur, ex codice 23 descriptus est (cf. titulos carminum Theocr. XXV et Mosch. IIII et Moschi carmen III, quod in utroque codice inde a versu 35 incipit); continet is praeter alia etiam spurium carmen Theocr. XX nomine Theocriti insignitum, quod in cod. nr. 23 nunc quidem non extat, sed olim sine dubio eodem auctoris nomine addito ceteris carminibus insertum erat. atqui hoc carmen Theocriteum non esse inter omnes viros doctos constat. quid igitur valet in hoc codice Theocriti nomen adpositum, quid omissum? denique animadvertas velim etiam carmen XXIIII *Ἡρακλίσκος* inscriptum in nullo codice Theocrito adtribui. at auctor huius carminis diserte Theocritus dicitur a scholiasta ad Pind. Nem. I 55, schol. Apoll. Rhod. I 1077, Eustath. ad Il. XVIII 570, p. 1163, 53, ad Il. II 596, p. 299, 13, ad Il. XVIIII 387, p. 1189, 46, ita ut nemo libros illos secutus carmen iure a Theocrito abiudicare possit. idem valet de carmine XXVIII *Ἀλακάτα* inscripto, quod inter omnia Theocriti poemata facile praestantissimum est; nam auctoris nomen in codicibus, qui hoc carmen continent, adscriptum non est. sed is qui argumentum in codicibus c et 6 (Vat. 913 vel Vat. B. Ziegleri) servatum conscripsit, diserte Theocritum nominat tamquam auctorem. his paucis id unum demonstrare volui, ex eo quod Theocriti nomen carmini XXV in libris adscriptum non sit non effici, alium atque Theocritum esse eius auctorem. sed cum eum hoc carmen condidisse non diserto codicum testimonio confirmetur, iam philologorum est accurata quaestione diiudicare, utrum carmen Theocriti esse possit necne. Hillerus autem plane aliam huius quaestionis solvendae viam iniit. postquam enim exposuit codicibus hoc carmen Theocrito non adtribui, statim argumenta gravissima esse adfirmat, quare carmen ad eundem auctorem, qui Megaram conscripsit, referatur. Megaram autem, quod carmen nunc in Moscheis legitur, neminem Theocrito adtributurum esse confisus iam demonstrat neque codicibus, in quibus Moschi nomen non legitur, neque

---

[1]) Cf. Hillerum p. 60 adnot. 1: 'M. III in codice *D* quoque Theocrito tribuitur. quae res num item valeat de libro *I*, unde in libro *D* id carmen depromptum est, ignoramus, cum nihil de ea re Ahrensius adnotaverit. quod si re vera in *I* id carmen ad Theocritum refertur, id ea re explicari potest, quod in *I* praeter M. III carmina tantum Theocritea leguntur. sin in *I* Theocritus non commemoratur, eum qui librum *D* conscripsit suo arbitrio egisse statuendum est.'

carmine ipso probari Moschum Megarae auctorem esse. videri igitur duo illa carmina ab ignoto quodam poeta scripta esse aetati Alexandrinae adsignando. haec igitur fere est, si paucis comprehenditur, Hilleri argumentatio.

Iam vero eo perveni, ut quid ipse sentiam de Hilleri sententia exponam. ac primum quidem omnia argumenta, quae ad sententiam suam confirmandam protulit, non ea esse censeo, quibus cogamur, ut eundem carminum auctorem statuamus. immo tam diversa arte poemata mihi composita videntur, ut credere vix possim ab eodem, qui Megaram, carmen tam mediocre, scripserit, profectum esse Herculem, quod poema haud indignum esse ingenio Theocriti rectissime de mea sententia Hermannus iudicavit. sed quae sint inter carmina discrepantiae, tum mihi demonstrandum erit, cum nihil valere Hilleri rationes exposuero.

Videamus igitur, cuius momenti sit primum eius argumentum, quod his fere verbis protulit: 'carmina Th. XXV et M. IIII cum in codice *Φ* et in codice D (quod idem de codice Patavino statuendum erit) inter se excipiant, in archetypo codicum *Π* et *Φ* coniuncta fuisse veri simile est.'[1]) mea quidem sententia hoc argumentum nihil fere valet; in codicibus enim nr. 23 et M carmen XXV ante Megaram, in codice D post hoc carmen legitur. quid inde potest aliud concludi nisi carmina illa in codice archetypo iuxta se posita fuisse ob hanc causam, quod argumenta similia videbantur? sed num quid hoc valet ad eundem carminum auctorem statuendum? ipse Hillerus hoc concedit, cum dicit p. 60: 'ea sane res non magni est in probando momenti.' sed alia argumenta plus ei valere videntur; veniant igitur deinceps in medium. atque de altero quidem ut recte iudicare possimus opus est pauca de carminum compositione verba facere. etenim in Megara, ut ab hoc carmine ordiar, medias in res inducimur, cum neque a quo neque ad quem oratio proficiscatur ex primis carminis versibus eluceat. primus enim versus hoc tantummodo nos docet, adloqui aliquem matrem suam maerentem: *Μῆτερ ἐμή, τίφθ' ὧδε φίλον κατὰ θυμὸν ἰάπτεις ἐκπάγλως ἀχέουσα . . .*; hanc de filio maerere comperimus ex versu IIII: *ἦρ', ὅτι ἄλγεα πάσχει ἀπείριτα φαίδιμος υἱός;* quis igitur est ille, qui verba pronuntiat? nam cum nulla re doceamur, utrum vir sit an femina, de fratre aut sorore filii illius cogitare licet. sed neque hoc neque illud rectum esse comperimus ex versu octavo: *δύσμορος, ἥτ' ἐπεὶ ἀνδρὸς ἀμύμονος ἐς λέχος ἦλθον . . .*; iam videmus feminam loqui, uxorem eius viri, de quo sermo est. ea igitur, quam adloquitur, non mater est, a qua est genita, sed socrus. adde quod quae sint illae feminae difficile est

[1]) In codicem m solum carmen XXV, in codicem s (Laur. 32, 16, saec. XIIII) solum carmen M. IIII receptum est.

ex versibus intellegere; ex eo tantummodo, quod femina loquens queritur maritum multis laboribus ab homine multo inferiore vexari (cf. v. 5) omniumque esse hominum infelicissimum, qui suos ipsius liberos trucidaverit (cf. vv. 11—28), concludere possumus sermonem esse de Hercule, loqui eius uxorem Megaram ad Alcmenam socrum. id in sequentibus demum clarius perspici potest ex v. 38: *Αὐτὰρ ἐγὼ Τίρυνθα κατὰ κραναὴν πόλιν Ἥρης . . . ἰάπτομαι ἄλγεσιν ἦτορ* et v. 52 sqq.: *νόσφι γε δὴ Πύρρης συνομαίμονος· ἡ δὲ καὶ αὐτὴ ἀμφὶ πόσει σφετέρῳ πλέον ἄχνυται, Ἰφικλῆι.* in versu 60 demum nomen Alcmenae legitur, Megarae ipsius nusquam. videmus itaque cum tam diu quis ad quem de quo loquatur ignoremus, ut carmen intellegi difficile possit, initium quod communi conveniat usui valde desiderari. nam quae est huius exordii ratio is qui hos versus legit, quotienscumque novi aliquid ex iis comperit, repetere cogitur memoria ea quae antea dicta sunt et cogitatione id adsequi quod paucis versibus praemissis apertum fuisset ad intellegendum. sed quanam re factum est, ut exordium carminis hoc modo conformatum legatur? cuius rei possunt excogitari causae tres; initium carminis aut neglegentia librariorum periit aut consilio a poeta additum non est aut carmen imperfectum est relictum. ad hanc igitur rem expediendam Hillerus usus est carmine XXV, quod cum item initium iustum non habere videretur, ab eodem poeta profectum esse conclusit, qui Megaram scripsit; cumque inter carminis XXV versus 84 et 85 quoque aliquid desideretur, quo prima pars artius coniungatur cum altera, iam conclusionem formavit in hunc modum: 'cum ter aliquid desideretur, casu h. e. neglegentia librariorum id factum esse non potest; neque enim veri simile est casu carmina ita esse mutilata, ut singulae eorum partes nobis servatae a versibus inciperent, quibus initium aperte designatur.' carmini XXV iustum initium fortasse poetae consilio additum non esse, id quidem Hillerus concedit, magis autem probabile esse adfirmat carmina a poeta imperfecta relicta esse. nam ter complures versus a librario quodam consilio tam mirum in modum omissos esse recte Hillerus probabile esse negat. sed Hilleri ipsius explicatio nihil valet ad sententiam eius comprobandam; nam quis est quin videat ex eo quod duo carmina imperfecta relicta sunt concludi non debere ea ab eodem poeta profecta esse? quae res si probaretur, sequeretur etiam Theocriti carmen XVIII imperfectum relictum ab eodem auctore scriptum esse.

Sed ne recta quidem mihi Hilleri explicatio videtur; ipse enim concedit, ut supra commemoravi, carmen XXV fortasse consilio poetae eo, quod expectamus, initio carere. equidem hoc maximam probabilitatem habere censeo. totius enim carminis compositionem mihi spectanti imperfectum id a poeta relictum esse non videtur. quod quo clarius

perspiciatur, iam quomodo carmen compositum sit exponamus. vides carmen totum divisum esse in partes tres. in parte prima (vv. 1—84) agricola quidam senex edocet Herculem de Augiae gregibus et pascuis (vv. 1—41) eique quaerenti, ubinam rex ipse, cuius causa huc venerat, esset, respondet eum pridie ad armenta inspicienda profectum esse et ad stabula commorari ipseque se ducem itineris pollicetur. in itinere miratur pellem leonis et clavam, quibus peregrinus ornatus est, sed quo genere natus sit, eum interrogare veretur. Herculem ad stabulum advenientem canes latrantes petunt, agricola autem, quem blande adulantur, eos proterret. clauditur haec pars hoc versu:

ἦ ῥα, καὶ ἐσσυμένως ποτὶ τωὐλίον ἵξον ἰόντες.

in parte altera (vv. 85—152) Hercules, Augias eiusque filius Phyleus in stabulis greges praestantissimos de pastu redeuntes spectant, qui admirationem Herculis movent. duodecim tauri albi inter ceteros insignes sunt robore, quorum princeps Phaethon appellatus ut pellem leonis aspicit, Herculem violenter adgreditur, sed facili negotio ab eo vincitur, quae res Augiam et Phyleum summa admiratione imbuit. hic oratio subito abrumpitur ac parte tertia (vv. inde a 153) narratur Herculem et Phyleum relictis agris ire ad urbem, cuius nomen non adfertur. in hoc itinere Phyleus admiratus pellem leonis Herculis umeris iniectam hunc interrogat: 'an tu is es, quem prodigium Nemeaeum interemisse perhibent?' adnuit Hercules et quo pacto certamen cum horrida illa belua inierit eamque oppresserit accurate exponit.[1])

Iam si alteram carminis partem spectamus, narratum non esse videmus, quomodo Hercules pervenerit ad Augiam et Phyleum, quomodo sese salutaverint, quomodo rex invitaverit hospitem, ut secum greges contemplaretur; cf. G. Hermannum l. c. p. 314. desideraverunt igitur inter partem primam et alteram versus nonnullos, quibus hoc expositum esset, Hermannus, Fritzschius, Hillerus. deinde quid inter partem alteram et tertiam expectemus, exponit Hillerus in praefatione huius carminis (in ed. Fritzschianae III. p. 245) his verbis: 'praeterea, id quod in eadem parte fieri potuit, narrari debebat Herculem gregibus inspectis a Phyleo in oppidum, cuius nomen adferendum erat, deductum atque ibi benigno hospitio exceptum esse.' denique Brinkerus etiam iustam clausulam periisse censet; nam verba: *οὗτός τοι Νεμέου* sqq. iustam clausulam effectura esse, si poeta solum certamen Herculis cum leone Nemeaeo uno carmine narrare voluisset. at vero quamquam hoc carmen non ita decurrit, ut cetera quidem carmina epica respicientes expectamus, tamen singulae eius partes, quod Gentherus recte vidit, ita sunt compositae, ut altera alteram respiciat; nam interrogatione agricolae in

[1]) Huius argumenti verba extrema ex Fritzschii editione maiore deprompsi.

prima parte (vv. 64—67) repressa praetexitur ea, qua re vera Phyleus adgreditur Herculem in parte tertia (vv. 177—188), deinde descriptione armentorum, quae in prima parte legitur (vv. 13—26), et agricolae verbis ἤμασι πολλοῖς κτῆσιν ἐποψόμενος ἢ οἱ νήριθμος ἐπ' ἀγρῶν praetexitur id quod in parte altera narratur, Augiam greges perlustrare. adde quod impetus, quem in Herculem faciunt canes (in parte prima; cf. vv. 70—77), respondet tauri impetui in parte altera descripto (cf. vv. 142—144). denique quonam omnia tendunt nisi ad descriptionem pugnae cum Nemeaeo leone, quacum cetera tam scite contexta sunt, ut ea descriptio neque quaesita neque casu oblata, sed per ipsarum rerum narratarum ordinem necessaria esse videatur?[1]) quare non recte Brinkerus de iusta carminis clausula dubitavit; cf. praeterea adnotationem Fritzschii c. XXIIII v. 132 adiectam.

Quam compositionis artem mihi respicienti probabilius videtur carmen a poeta consilio ita esse compositum, ut quae legentes facile cogitatione addere possent, ille inutilia atque superflua esse ratus partes eius laxius inter se coniungeret. certe poeta, qui tot versus scripsit, quos unum efficere carmen voluit — id, quod ex eis quae supra scripsi adparet — sine dubio facili negotio addidisset etiam perpaucos illos versus, quibus pars prima et altera artius inter se conecterentur, si id facere voluisset. id unum addam necessarium non esse nominari in v. 153 urbem, in quam Hercules et Phyleus proficiscebantur; est enim etiam in parte prima (in v. 56) nude positum verbum ἄστυ. (ʽχθιζὸς δ' εἰλήλουθεν ἀπ' ἄστεος ἤμασι πολλοῖς κτέ.; cf. etiam v. 45: εἰ δ' ὁ μὲν κατὰ ἄστυ μένει παρὰ οἷσι πολίταις.)

Facio igitur cum Couatio, qui poetam ea quae nos desideramus, cum inutilia illa existimaret, de industria non commemorasse censet in libri 'La poésie Alexandrine' p. 404, addens superfluum fuisse longiore in ea re uti narratione vel, ut ipsius utar verbis, 'de prolonger une narration déjà longue par des détails, qui ne pouvaient rien ajouter à l'effet de l'ensemble.'[2]) ac possumus fortasse aliam quoque huius brevitatis causam adferre, quae mihi haud indigna videtur quae commemoretur. eo enim tempore, quo hoc carmen conscriptum est, magnum valuit illud Callimachi: μέγα βιβλίον μέγα κακόν (Ath. II 72, a). qua re factum est, ut omnes poetae, qui Callimachum sequebantur, magnum carminum ambitum devitare studerent. quod auctor huius carminis ita adsequebatur, ut quae ei supervacanea videbantur silentio praetermitteret. quod si de carminis compositione statuimus, possumus etiam explicare

---

[1]) Hoc recte monuit Hermannus l. c.

[2]) Hunc librum inspicere mihi non licuit; verba supra adlata ex Hilleri libro petii.

cur iustum initium non habeat. videtur enim poeta initium quoque consilio non ex more aliorum confecisse, sed in medias nos res inducere voluisse prorsus omissis omnibus rebus, quas legentes ipsi facillime ex primis carminis versibus intellegere possent. et profecto possumus iam a primo versu omnia perbene intellegere, cum recto ordine primum quis loquatur, indicent versus primus et secundus:

Τὸν δ' ὁ γέρων προσέειπε φυτῶν ἐπίουρος ἀροτρεύς
παυσάμενος ἔργοιο, τό οἱ μετὰ χερσὶν ἔκειτο;

quem adloquatur, versus tertius:

ἔκ τοι ξεῖνε, πρόφρων μυθήσομαι;

deinde eodem versu docemur, cur agricola viatorem adloquatur: *μυθήσομαι, ὅσσ' ἐρεείνεις;* erat enim ab eo interrogatus. atque etiam quid quaesiverit viator possumus concludere ex eis ipsis quae respondet agricola in versu septimo: *ποῖμναι μὲν βασιλῆος ἐπίφρονος Αὐγείαο* ... primi igitur septem versus omnia quae necessaria sunt ad intellegendum rectissimo ordine exponunt. at dicet aliquis: quis autem ille viator sit concludere possumus demum ex versu 42:

τὸν δ' ἀπαμειβόμενος προσέφη Διὸς ἄλκιμος υἱός.

cui equidem respondeam haec: quis ille sit viator eos qui versus usque ad versum quadragesimum alterum legunt ad hos ipsos intellegendos scire opus non est; nihil enim illis aliud continetur nisi latior regionis descriptio. gravissima praeterea causa, cur Hercules primo versu non nominetur, ea est, quod legentium animi non mediocriter tenentur, si nomen illius viatoris, qui de Augiae pascuis et gregibus ex agricola quodam requirit eumque corporis sui dignitate magna admiratione imbuit, non statim legunt. quotus enim quisque est, qui cum haec legat, non coniciat Herculem esse illum viatorem? quod non falso se suspicatos esse suo loco legentes comperiunt ex versu 42. elucet igitur, ut mihi videtur, aliud initium necessarium non esse, cum carmen ita ut traditum est facillime intellegi possit. contra de Megara propter causas supra expositas idem adfirmare non licet. cui carmini utrum item initium desit ex auctoris consilio an propterea quod imperfectum relictum est, postea diiudicare conabimur. haec autem iam nunc iure statuere possumus: etsi ob hanc solam causam, quod carmen XXV alio initio carere facile potest, Megara non item, adfirmare non licet diversos esse auctores, hoc certe negandum est eam quae inter carmina intercedere videtur similitudinem quicquam ad eundem auctorem statuendum valere.

Qua re absoluta videamus, quid de carminum titulis statuendum sit. Hillerus enim hoc quoque carminum proprium esse dicit, quod utrique titulus desit. legitur enim ante primum versum carminis, quod Megara in editionibus inscribitur, in codice s (Laur. 32, 16 saec. XIIII): *ἡ Μεγάρα λέγει τῇ πενθερᾷ κεχαρισμένη*, in cod. D: *Μεγάρα λέγει τὴν*

πενθεράν, in cod. 23: *Μεγάρα γυνὴ Ἡρακλέους*. quibus de titulis sic iudicat Hillerus p. 61: 'nemo puto unam harum inscriptionum genuinum carminis titulum esse existimabit. nihil aliud enim eae sunt quam adnotatiunculae, quibus lecturi de ea, cuius oratio versibus proxime sequentibus profertur, edoceantur.' carmini XXV titulus in cod. m non est adiectus; in archetypo *Φ* praescripta erant carmini verba: *Ἡρακλῆς πρὸς ἀγροῖκον*, quae nisi in primam partem non quadrare unusquisque videt. in archetypo *Π* alteri parti adscriptus est titulus ineptus *Ἐπιπώλησις*, quem sumptum esse Hillerus dicit ex Iliadis libro quarto: *Ἀγαμέμνονος ἐπιπώλησις* inscripto; primae parti titulus non est. inde Hillerus concludit huic quoque carmini aptum titulum in archetypo non fuisse. atque hoc quidem Hillero concedendum est ea quae in codicibus his carminibus praescripta sunt verba aptos titulos non efficere. neque tamen cum eo adfirmaverim carmina in archetypo sine titulis scripta fuisse comprobarique hac re quod antea suspicatus erat carmina imperfecta relicta esse. nam cum in uniuscuiusque codicis scriptura insit verbum *Μεγάρα*, hunc fuisse titulum carminis IIII suspicari possumus, cui adscriptum est in hoc codice: *λέγει τῇ πενθερᾷ κεχαρισμένη*, in illo: *λέγει τὴν πενθεράν*, in alio: *γυνὴ Ἡρακλέους*. qua re ipsa factum fortasse est, ut titulus genuinus in codicibus non legeretur. idem de carmine XXV statuendum videtur, cuius titulum *Ἡρακλῆς* fuisse suspicor propterea, quod carmini XXIIII titulus est *Ἡρακλίσκος*. huic verbo postea in codice aliquo orationis insequentis explicandae causa adscripta sunt: *πρὸς ἀγροῖκον*. nam cur in codice D (sive archetypo *Π*) titulus carminis non extet, id ea re explicari potest, quod librarius primum scripserat partem alteram, quo errore animadverso primam addidit verbis: *ἡ ἐκλογὴ αὕτη πρὸ τῆς ἐπιπωλήσεως τέτακται* adiectis. atque haec mihi causa fuisse videtur, cur titulus carminis omitteretur. id unum addam, titulus ille *Ἐπιπώλησις* quin a librario aliquo additus sit dubium esse non posse. haec habui, quae de titulis dicerem. sed Hillerus sententiam suam etiam eo fulciri existimavit quod utrumque carmen ex fabularum, quae de Hercule sunt, orbe ductum esset; deinde utrumque non eo consilio scriptum esse, ut pars cuiusdam maioris carminis videretur, quo de tota Herculis vita ageretur; in tali enim carmine Herculis cum leone pugnam aut liberorum necem poetam ipsum narrare debuisse. porro neutrum carmen more epicorum ut *Ἡρακλίσκος* unius Herculis facti narrationem continere. in hoc et in illo statum aliquem describi, Herculis apud Augiam commorationem et maestitiam, in qua, cum Hercules procul esset a patria, mater eius uxorque erant. ex longioribus orationibus constare alterum carmen totum, alterum maxima ex parte, et iis, quibus de herois sorte factisque accuratius edoceamur. denique in utroque carmine studium agnosci posse singulas res minutius describendi.

quamquam tenorem carminum diversum esse concedit vel ipse Hillerus, cum de hac quidem re sic iudicat: 'ceterum in tanta argumenti diversitate utriusque carminis tenorem et colorem diversos esse debere, id per se intellegitur.' sed hae res omnes, quas utrique carmini tamquam proprias adtribuit, nihil possunt valere ad persuadendum nobis, ut eundem hominem utriusque auctorem fuisse statuamus, propterea quod eae propriae erant omnibus fere poetarum Alexandrinorum poematis. exemplo sit Callimachi Hecale. etenim in ea quoque non de uno Thesei facto agebatur, sed de compluribus rebus; non a poeta eae narrabantur, sed ab ipso Theseo apud Hecalen commorante; cf. Naekii disputatiunculam 'de Callimachi Hecale' inscriptam, quae inest in eius opusculorum vol. alt. et Susemihlium I 355 sq. deinde omnes illius aetatis poetas paene nimios fuisse in singulis rebus minute describendis non est cur pluribus exponam; satis habeo Callimachum et qui eum secutus est, Catullum (cf. c. LXIIII), Moschum (cf. c. I v. 37–62), ipsumque Theocritum commemorare, cuius poculi descriptio in carmine primo satis nota est. tenorem vero carminum si spectamus, is sane est diversissimus. Megara enim pressum ac flebile carmen lyricum est, in quo actiones nullae describuntur. longe alterius vero generis est *Ἡρακλῆς λεοντοφόνος*, quod carmen vere est epicum, quamquam partem priorem, quippe quae tota occupata sit in vita rustica describenda, edylium dici posse non ignoro. sed latius hoc, quod unusquisque primo obtutu sentiet, exponere opus non est. nihil igitur aliud de hoc argumento dici potest quam quod de superioribus.

Iam vero accedamus ad quintum Hilleri argumentum aestimandum. is enim etiam in sermone haud pauca Megarae et Herculis propria esse contendit, quae alibi nusquam in bucolicorum graecorum poematis legantur. adtulit exempla haec: *ἀθέσφατος* XXV 24, IIII 104, *ἄμοτος* XXV 202, 242, IIII 104, *γόνος* XXV 159, IIII 27 (utroque loco legitur accusativus *γόνον* ante caesuram bucolicam sequente spondeo), *δεδεγμένος* (ante caesuram bucolicam) XXV 228, IIII 96, *ἐκπάγλως* XXV 114, IIII 2, 93 (in versuum initiis), IIII 72; *ἔκπαγλον* XXV 133, *ἐμπίπτειν* (*ἔμπεσε*) in pede quinto XXV 231, IIII 62, (*βίη*) *Ἡρακληείη* XXV 154, IIII 95, *κῆδος* XXV 281, IIII 12, 64, *κλάζειν* XXV 72, IIII 24, *λελίημαι* XXV 196, IIII 110, *μεμαώς* XXV 105, IIII 106, *ὀλισθεῖν* XXV 230, IIII 111 (utroque loco id verbum in fine versus positum est), *πέλωρον* (*πελώρου* in versus clausula positum) XXV 195, IIII 26. *ἀπειρέσιος* nisi XXV 100, *ἀπείριτος* nisi IIII 4 in corpore carminum bucolicorum non invenitur; idem fere valet de his vocabulis, quae apud poetas bucolicos rarissime leguntur: *ἀσχαλάαν*, *ἐκφυγεῖν*, *ἔμπλεος*, *ἕρκος*, *ἐσχατιά*, *λίην*, *νόσφι*, *ὀλοός*, *πέρην*. sed ne hoc quidem argumentum quicquam facere ad hanc quaestionem solvendam recte dixit Gentherus, quod verba illa in utroque

carmine aut hausta essent ex eodem fonte, Homero, cuius imitatio utriusque communis est, aut ex usu dicendi poetarum deprompta, qui illa aetate floruerunt. veluti *ἀθέσφατος*, *ἄμοτον*, vocabula sunt Homerica; *γόνον* ante caesuram bucolicam legitur Il. *E* 635; Od. *α* 216; *τ* 166. quod in carmine XXV et IIII spondeus sequitur, locis Homericis adlatis non item, ex more poetarum Alexandrinorum explicatur, qui nimio paene studio in versus exitu spondeum adhibebant (cf. Christii 'Metrik der Griechen und Römer²' p. 162). *δεδεγμένος* apud Homerum legitur Il. *Δ* 107, *Θ* 296, *K* 62, *ἐκπάγλως* et *ἔκπαγλον* in versus initio Od. *λ* 560 et saepius, *ἔμπεσε* apud Homerum quoque semper in quinto pede legitur; *βίη Ἡρακληείη* ex Homero sumptum est (cf. Il. *B* 658, Od. *λ* 601, ac saepius); *κῆδος* verbum est Homericum, eadem verbi *κλάζειν* forma posita est Il. *Π* 429, *λελιημένος* est Il. *M* 106, *Π* 552, *Δ* 465, *E* 690, *λελίησαι* saepius apud posteriores poetas epicos invenitur; cf. Lehrsii Quaest. ep. p. 290. deinde vocabula Homerica sunt haec: *μεμαώς* (cf. Il. *B* 818 permultosque alios locos, quos omnes adferre longum est), *ὄλισθε* (cf. Il. *Ψ* 774, *Y* 470), *πελώρου* in versus exitu Od. *κ* 168, *λ* 634, Il. *E* 741, *αἰνὰ πέλωρα* Od. *κ* 219, *ἀπειρέσιος* (cf. Il. *Π* 178, *Y* 58, Od. *λ* 621, *τ* 174 saepius), *ἀπείριτος* (cf. Od. *κ* 195), *ἀσχαλάαν* (cf. Il. *B* 293, 297, *X* 412, *Ω* 403, Od. *β* 193 ac saepius), *ἐκφυγέειν* (cf. Od. *τ* 231); *ἔκφυγε* (cf. Il. *E* 18, *I* 355 ac saepius), atque eodem modo *ἕρκος*, *ἐσχατιά*, *λίην*, *νόσφι*, *ὀλοός*, *πέρην*. apud posteriores poetas epicos est *ἔμπλεος*. quae cum ita sint, ex dictione horum carminum nihil redundat ad eundem auctorem statuendum.

Venimus ad ultimum Hilleri argumentum, quo neque metri neque prosodiae discrepantias inter ea carmina intercedere demonstrat. sed hoc id unum valet, nihil nos impedire, quominus eundem utriusque carminis auctorem statuamus. nam quod vocem *πρίν* ante vocalem produci monet XXV 222, 263 (adde 258) et IIII 112, quod in bucolicorum Graecorum carminibus nusquam, apud posteriores poetas epicos raro observetur, ea res non magni momenti est. voculae *πρίν* enim vocalis antiquitus natura longa fuit (cf. Hartelii Hom. Studien I² p. 109) et saepe apud Homerum ante vocalem et in arsi et in thesi producitur. haec igitur res Homeri imitatione explicatur; cf. cum c. XXV v. 222 *πρὶν ἰδέειν ἀλκῆς τε* hymn. Hom. V v. 333 *πρὶν ἴδοι*, Il. *P* 5 *πρὶν εἰδυῖα*, Od. *ν* 113 *πρὶν εἰδότες*, cum c. XXV v. 258 *πρὶν ἔμ' ἱκέσθαι*, Od. *ο* 210 *πρὶν ἐμὲ οἴκαδ' ἱκέσθαι*, cum c. XXV v. 263 *νωσάμενος πρὶν αὖτις*, Il. *Z* 81 *ἐποιχόμενοι πρὶν αὖτ' ἐν χερσί*, cum c. IIII v. 112 *πρὶν ἐλθεῖν* Il. *I* 403 *ἐπ' εἰρήνης πρὶν ἐλθεῖν υἷας Ἀχαιῶν*. apud posteriores poetas eam vocem productam invenimus Tyrt. fr. XIIII, Quint. Smyrn. I 110, Anth. Pal I 108, VIIII 169; cf. Rzachii commentationem 'Neue Beiträge zur Technik des nachhom. Hexameters' a. MDCCCLXXXII editam, inprimis p. 375. interest

autem inter haec duo carmina id, quod productionis brevium syllabarum in consonas litteras cadentium, quae saepe observatur in Hercule, in Megara nullum est exemplum; cf. p. 101. sed si idem amborum carminum auctor fuisset, qui in hac re adhibenda Homerum, quem sibi imitandum sumpserat, in hoc carmine secutus esset, nonne in altero quoque eandem imitationis viam iniisset? haec iam Gentherus p. 12 recte exposuit.

Num igitur Hilleri argumentis cogimur, ut eundem carminum auctorem esse dicamus? minime puto. id quidem ex paucis illis, quae de singulis eius argumentis disputavi, elucere censeo. sed antequam ad aliam rem, qua mihi Hilleri sententia non solum non fulciri, sed plane refelli videtur, explicandam accedam, paucis Gentheri, qui Hillerum secutus est, sententiam adumbrare mihi liceat. is igitur quamquam hoc recte vidit, intercedere inter carmina illa has discrepantias, quod Megara non eandem imitandi Homeri artem atque Hercules proderet et pluribus compositionis vitiis laboraret, tamen ea re deterritus non est, quin cum talibus vitiis quamvis levioribus laboraret etiam Hercules, eundem horum carminum auctorem statueret, id unum addens Megaram utpote carmen minus perfectum fortasse prius ab eo conditum esse. haec igitur carmina artificiosas rhapsodiarum Homericarum imitationes esse censet, quibus res quaedam memorabiles ex Herculis vita sumptae describantur, ita tamen, ut nullo artiore vinculo inter se coniungantur. quam sententiam comprobari inprimis dicit uberiore Homeri imitatione, quae in utroque carmine observetur. quam ad rem demonstrandam diligenter omnes confert locos Homericos, qui poetae ante oculos obversati esse videntur. atque hanc collationem[1]) totius Gentheri disputatiunculae dignissimam, quae magni aestimetur, partem esse iure in censura adfirmat Mertensius. Gentherum autem neque solum neque primum de rhapsodis Alexandrinis cogitasse inde adparet, quod eandem sententiam iam protulerant Eichstadtius et Greverus, refutaverat eam iam Hermannus; cf. quae de hac re p. 68 scripsi. de singulis autem amborum carminum locis quid Gentherus iudicaverit, postea videbimus.

Hactenus demonstrasse mihi videor, Hilleri sententiam rationibus prolatis non defendi: nunc argumentum adferam, quod haud minimi momenti est ad eam plane improbandam. condicionem enim amborum carminum tam diversam esse censeo, ut ea ab eodem poeta profecta esse credibile non sit. atque iam cum de carminum initiis quaestionem institueremus, vidimus Megaram non eadem arte compositam esse atque Herculem, si quidem illud quoque carmen a poeta consilio iusto exordio

[1]) Ante Gentherum plurimos locos congesserat G. Futhius in dissertatione 'De Theocriti poetae bucolici studiis Homericis' (Halis Sax. MDCCCLXXVI) p. 8 sqq.

non instructum esse sumimus. sunt autem alia permulta in Megara, quae eum qui hoc carmen composuit non hominem magni ingenii fuisse declarant. nonnulli quidem loci ita sunt comparati, ut a criticis, qui plerumque ea quae non bene dicta sunt meliora reddere student, corrupti iudicati sint. haec igitur causa fuit, cur coniecturas excogitarent et interpolationes lacunasve statuerent. at si quis totum carmen accurate examinaverit, studium agnoscet in eo mali poetae res insolitas captantis, cui ipsi, cum veri poetae ingenio carens plerumque in sententiis exprimendis laboraret, culpa tribuenda est, quod saepius sensus minus aptus evadit aut sententiae non bene inter se cohaerent. his igitur locis nostrum erit sensum, quem in verbis inesse poeta voluit, elicere, ita tamen, ut simul fateamur hoc carmen non magni pretii esse.

Ad primum igitur locum, in quo ea quae modo dixi observari possunt, accedens moneo iam Gentherum de compluribus locis quibus sensus aptus desideraretur egisse. etenim post versum 13 *σχέτλιος, ὅς τόξοισιν, ἅ οἱ πόρεν αὐτὸς Ἀπόλλων* legitur versus: *ἠέ τινος Κηρῶν ἢ Ἐρινύος αἰνὰ βέλεμνα,* qui hoc significare videtur: sive hoc mortis genus liberis a Parcis destinatum erat sive Furiae Herculem impulerunt, ut his telis liberos interficeret. similiter haec verba contorta iam Manso explicaverat. *Κῆρες* enim sunt deae quaedam mortis, ita tamen, ut proprie varia illa mortis genera significare videantur.[1]) apud Homerum quidem cuicumque per vim mori destinatum est, ei iam cum nasceretur, propriam quae dicitur *Κῆρα* adtributam esse legimus Il. *Ψ* 78. videntur igitur *Κῆρες* servae Parcarum, quarum iussu neces ab his constitutas exsequuntur;[2]) itaque facile fieri potuit, ut poetae *Κῆρας* pro Parcis ipsis substituerent, veluti Archias Mityl. in Anth. Pal. IX 111: *ὅσους αἰῶνα λιπόντας ἀπροιδὴς Κηρῶν λάτρις ἔμαρψε Μόρος.*[3]) quae cum ita sint, ut redeamus unde profecti sumus, poeta huius carminis sagittas Herculis cum *αἰνὰ βέλεμνά τινος Κηρῶν* dicit, fato destinatas fuisse neci liberorum significaturus est. his deis opponuntur *Ἐρινύες*, Furiae, quas poenam a deo quodam constitutam de hominibus exigere ex Homero notum est (cf. Il. *T* 87 sqq.) atque Herculis quoque mentem Furias iussu numinis alicuius, fortasse

[1]) Cf. G. Goekii dissertationem: 'Homeri de morte mortuorumque condicione sententiae' (Hal. MDCCCVIII) p. 20.

[2]) Cf. Friedreichii Die Realien in der Ilias und Odyssee (1851) p. 673, E. Buchholzii Die hom. Realien III 319 sqq., Naegelsbachii Hom. Theologie (ed. III) p. 140, Prelleri Griech. Mythol. I 691.

[3]) Cf. O. Crusii commentationem nuperrime editam, quae sub voce *Κῆρες* inest in Roscheri lexico graec. et rom. mythol. (p. 1164), quo loco haec disputat: Die Moira ist im Grunde die zugetheilte Ker selbst; so erklärt es sich, dass sich im Epos die beiden Ausdrücke ablösen (Il. *Σ* 115 sqq.) oder wie ein Paar zusammengehörige Gestalten, gleich den Erinyen und Eumeniden, nebeneinander stehen (cf. Hes. Theog. 217).

Iunonis, ut in suos ipsius liberos saeviret, occaecasse veri simile est.[1]) poeta igitur cum Herculis sagittas Furiarum tela fingat, nihil aliud significaturus esse videtur nisi Herculem a Furiis impulsum esse, ut his telis in suos liberos uteretur. hic igitur, nisi fallor, sensus in verbis inest; sed velim animadvertas, quam mire sit expressus. deinde in v. 24 verba *πότνια μήτηρ* mire sunt dicta de ave subolem circumvolante; quod comico quidem carmini, quale fuit *Βατραχομυομαχία*, convenit, minime huic quod flebile quiddam habere supra dixi. iam vetus magni ingenii criticus, Aristoteles, hac de re ita iudicavit; cf. Rhet. III 7 (1408, a 15): *μηδ' ἐπὶ τῷ εὐτελεῖ ὀνόματι ἐπῇ κόσμος· εἰ δὲ μή, κωμῳδία φαίνεται, οἷον ποιεῖ Κλεοφῶν· ὁμοίως γὰρ ἔνια ἔλεγε καὶ εἰ εἴπειεν· πότνια συκῆ.* in v. 30 offendit cum aliis Gentherus in eo, quod invocatio Dianae non bene cum sententia antecedenti cohaereat.[2]) sed haec quidem invocatio potest fortasse explicari. primum enim omnium tenendum est Megaram verbis *φαρμακόεντα ἰὸν* sine dubio Herculis sagittam veneno imbutam significare, quod hunc tales sagittas possedisse notum est iisque liberos esse occisos in versibus antecedentibus narratum erat. quod qui intellexerunt mirum tamen esse adfirmaverunt, cur Megara in versu subsequenti Dianam invocaret. quam deam mulieribus, ut Apollinem viris, repentinam mortem adferre saepe apud Homerum legimus;[3]) cf. Il. Z 428 *πατρὸς δ' ἐν μεγάροισι βάλ' Ἄρτεμις ἰοχέαιρα* (sc. *τὴν μητέρα*; de Andromachae matre hoc dictum est), Z 205, *Ω* 605, Od. *λ* 198, 324, *ο* 478. nec minus notum est nonnumquam mulieres repentinam mortem exoptantes invocare Dianam, ut sagittis se transfigat omnique miseria liberet. conferas quaeso quae Penelope precatur apud Homerum Od. *υ* 61:

Ἄρτεμι, πότνα θεά, θύγατερ Διός, αἴθε μοι ἤδη
ἰὸν ἐνὶ στήθεσσι βαλοῦσ' ἐκ θυμὸν ἕλοιο,
αὐτίκα νῦν

et *σ* 201:

ἦ με μάλ' αἰνοπαθῆ μαλακὸν περὶ κῶμ' ἐκάλυψεν·
αἴθε μοι ὣς μαλακὸν θάνατον πόροι Ἄρτεμις ἁγνὴ
αὐτίκα νῦν, ἵνα μηκέτ' ὀδυρομένη κατὰ θυμὸν
αἰῶνα φθινύθω, πόσιος ποθέουσα φίλοιο
παντοίην ἀρετήν, ἐπεὶ ἔξοχος ἦεν Ἀχαιῶν.

---

[1]) Cf. Wilamowitzii editionem Eur. Herculis I 326.

[2]) Haec enim dicit: Meg. V. 30 muss mit dem vergifteten Pfeile der des Herkules gemeint sein; es fällt deshalb die Anrufung der Artemis im folgenden Verse auf. Sie kann nur dadurch veranlasst sein, dass Artemis die Göttin ist, welche Pfeil und Bogen führt.

[3]) Cf. Prelleri Griech. Mythol. I[3] 239, Buchholzii Die Hom. Realien, III 127—129, Welckeri Griech. Götterlehre I 602.

quare Wakefieldus Dianae quoque sagittas commemorari necesse esse ratus deesse versum post tricesimum talem fere suspicatus est: ἢ πρὶν σοῖς ἀγανοῖσιν ὑπὸ βελέεσσι δαμῆναι. melius hunc finxerunt Hermannus: ἢ καὶ σοῖς ἀγανοῖσιν ὑπαὶ βελέεσσι δαμῆναι et Ahrensius: ἢ καὶ σοῖς ἀγανοῖσιν ἄφαρ βελέεσσι δαμῆναι. alii nihil deesse, sed sagittam, qua ut transfixa ceciderit Megara optat, Dianae ipsius telum esse censuerunt; cui cum nusquam sagittae veneno imbutae adtribuantur, multa temptarunt, ut verbum φαρμακόεντα coniecturis tollerent, sed eventu non prospero. coniecerunt igitur Ahrensius: κεῖσθαι ἄφαρ πηχθέντα, Meinekius κεῖσθαι ἄφαρ μορόεντα vel ἄφαρ κρυόεντα, I. A. Hartungius κεῖσθαι ἄφαρ προεθέντα. traditum verbum Meinekius ita defendere conatus est, ut poetam φαρμακόεντα ἰὸν non sagittam dicere adfirmaret, sed venenum, quod Megara in caede liberorum exoptavisset. haec explicatio, qua nihil mihi absurdius excogitari potuisse videtur, digna non est quae refellatur. denique Ruhnkenii sententiam commemorem, qui — quod est ultimum refugium — versum 31 aliunde huc illatum censuit. sed ut iam meam ipsius sententiam aperiam, locus mihi sanus et ita explicandus videtur, ut Megaram Dianam invocantem fingamus propterea quod si qua femina subita morte corripiebatur, numine Dianae μέγα κρειούσης γυναιξὶ hoc factum esse putabatur. Megara igitur hanc fere sententiam exprimere vult: 'utinam tu, Diana, magna mulierum domina, me miseram repentina morte omnibus miseriis liberasses, unam ex Herculis sagittis in mea pectora derigens!' saepius enim legimus deos mortalibus telis ita usos esse, veluti Apollinem Paridis sagittam derexisse in Achillem apud Verg. Aen. VI 56:

> *Phoebe, gravis Troiae semper miserate labores,*
> *Dardana qui Paridis derexti tela manusque*
> *corpus in Aeacidae.*

versibus hoc modo explicatis non est, quod lacunam statuamus aut coniecturis verbum φαρμακόεντα e textu removeamus. aliam offensionem inesse in verbis versuum 36 sqq. νῦν δ' οἱ μὲν Θήβην ἱππότροφον ἐνναίουσι . . . C. Hartungius in Quaest. Mosch. p. 37 statuit; nimiam enim esse sententiae velocitatem et inconcinnitatem. loqui debuisse Megaram in hunc modum: 'utinam una cum liberis meis necata essem, quo uno sepulcro tegeremur a parentibus. sed deus aliter vertit, qui non solum liberos mihi eripuit, sed a patre matreque etiam removit; illi enim Thebis habitant, ego . . .' liberorum autem mentione nulla facta Megaram statim de parentibus agere. sed equidem in hoc sententiarum contextu non offendo; in ipsa enim sententia optativa ὡς ὄφελον μετὰ παισὶν ἅμα θνήσκουσα καὶ αὐτὴ κεῖσθαι inest id quod Hartungius significavit verbis: 'sed deus aliter vertit'; subsequentibus autem verbis opponit Megara

iis quae animo sibi finxerat rem quomodo re vera se habeat. iure autem desideret aliquis in v. 45 sententiam, quae clarius significet Alcmenam de Hercule maerentem non curare Megarae dolorem neque solari studere; cf. quae Megarae respondet Alcmena v. 81 *τῷ μή μ' ἐξείπῃς πότ' ἐμὸν θάλος, ὥς σευ ἀκηδέω.* deinde in v. 48 non satis clara sunt verba *οὐ γάρ σφε δόμων κατὰ τεῖχος ἐέργει.* Megara enim hoc versu nihil aliud dicere vult nisi: 'propinqui enim mei intra huius urbis moenia non sunt, sed omnes procul a nobis ultra Isthmum habitant.' quamquam omnes praeter Zieglerum editores codicum lectionem corruptam esse rati singulis verbis immutatis alium sensum adsecuti sunt. veluti Hermannus Opusc. V 45 *τοιγάρ σφε δόμον κατὰ τοῖχος ἐέργει* scribi voluit, quod Meinekius recepit particula *τοιγάρ* in *δὴ γάρ* mutata; quam ironicam sententiam minime convenire Megarae animo tristissimam condicionem suam deplorantis iam C. Hartungius l. c. p. 39 intellexit; sed ob hanc causam verba *οὐ γάρ σφε δόμων κατὰ τοῖχος ἐέργει. καὶ λίην* interpolata iudicare non debuit. postea Hermannus satis duxit *δόμῳ* scribere addito signo interrogationis, ita ut statim sibi Megara responderet verbis: *καὶ λίην πάντες γε πέρην* . . . I. A. Hartungius quoque hunc in verbis sensum inesse ratus: 'dieselben gehen nie aus ihren Wänden heraus und kommen nie mich besuchen' audacius coniecit *τοὺς γὰρ κατὰ δώματα τοῖχος ἐέργει.* sed hae coniecturae omnes, quarum nulla speciem habet veritatis, superfluae sunt, si locum ita interpretamur, ut supra indicavi (scil.: neque enim eos domorum moenia includunt, denn nicht schließet sie ein die Häuser schützende Mauer). tum etiam explicari possunt particulae *καὶ λίην,* quibus haec sententia cum subsequenti coniuncta est. his enim voculis, quae vim adfirmationis augent, Homerus ita utebatur, ut semper in enuntiati initio positae ad sententiam aliquam mente supplendam referendae essent. atque hic Megara postquam cognatos non Tirynthe habitare verbis: *οὐ γάρ σφε δόμων κατὰ τεῖχος ἐέργει* significavit, sententia 'neque me visunt' suppressa statim pergit his verbis: *καὶ λίην πάντες γε πέρην πιτυώδεος Ἰσθμοῦ ναίουσ',* quae transferam in germanicum sic: freilich sie wohnen ja alle jenseits des fichtenreichen Isthmus. loco ita explicato graviores quidem offensiones evanescunt, minores restant; verbis enim traditis neque Tirynthis urbis moenia sat clare significantur neque omnino feliciter exprimitur sententia: in hac urbe non habitant. sed equidem hoc non librariis, sed poetae ipsi culpae vertendum censeo. mirum deinde in modum adloquitur Alcmena Megaram versibus 62 sqq., ne lacrimis conficiatur admonens; modo enim ipsam Alcmenam dies noctesque lacrimare audivimus et tum ipsum, cum Megaram adloqueretur, fudisse lacrimas; antecedunt enim versus:

ὥς ἄρ' ἔφη (Megara), *τὰ δέ οἱ θαλερώτερα δάκρυα μήλων*
κύκλον ἐς ἱμερόεντα κατὰ βλεφάρων ἐχέοντο κτἑ

ὡς δ' αὔτως δακρύοισι παρήια λεύκ' ἐδίαινεν
Ἀλκμήνη.

Iam vero ad eam carminis partem venimus, quae longe difficillima est ad explicandum, dico versus 69—71, in quibus interpretandis sive restituendis multi viri docti desperaverunt. leguntur enim hi versus in codicibus sic scripti:

v. 66 . . . *μάλα μέν γε φιλοθρηνής*[1]) *κέ τις εἴη*[2])
ὅστις ἀριθμήσειεν ἐφ' ἡμετέροις ἀχέεσσι.
θάρσει· οὐ τοιῆσδ' ἐκυρήσαμεν[3]) *ἐκ θεοῦ αἴσης.*
καὶ δ' αὐτὴν ὁρόω σε φίλον τέκος ἀτρύτοισιν
ἄλγεσι μοχθίζουσαν· ἐπιγνώμων δέ τοί εἰμι
ἀσχαλάαν, ὅτε δή γε καὶ εὐφροσύνης κόρος ἐστί.

ac primum in medium veniant versus 66—68. lectio tradita *φιλοθρηνής* ab omnibus editoribus praeter Ahrensium recepta est, qui propter lectionem codicis D coniecit: *φιλοφληνής*, quod explicavit verbis: nugarum amans. sed hoc verbum praeterquam quod alibi nusquam legitur neque eius origo satis explicatur verbis ab Ahrensio comparatis *φλήναφος, φληναφάω*, in hoc sententiarum contextu mihi minus aptum videtur quam id quod in codicibus omnibus reliquis legitur *φιλοθρηνής*. sed haeserunt viri docti in his verbis primum quod obiectum verbi *ἀριθμήσειεν* desiderabant, deinde quod particula *οὐ* in v. 68 contraria sententia efficitur atque ea quam expectamus. hanc difficultatem Hermannus ita tollere studuit, ut pro *θάρσει οὐ* scriberet *θαρσοίη*; tum necesse erat pro *ἀριθμήσειεν* infinitivum restituere, qui ex verbo *θαρσοίη* dependeat; scripsit igitur Hermannus *ἀριθμήσειν ἕν*, qua coniectura etiam obiectum verbi nancisci sibi videbatur. haec coniectura postea recepta est ab Ahrensio, probata a Meinekio. sed recte I. A. Hartungius in adn. ed. p. 506 verbum *ἕν* quid significaret vel quo referendum esset intellegi posse negavit. ipse pro *ἀριθμήσειεν* scripsit *ἀριθμήσειν ἄν* — (*θαρσοίη· τοιῆσδ'*), quod recepit Zieglerus. offendit Hartungius etiam in verbis *μάλα μέν γε φιλοθρηνής κέ τις εἴη*, quae qua erat audacia mutavit in *μάλα κεν φιλομόχθηρός γέ τις εἴη*. hanc coniecturam nullam probabilitatem habere non est cur pluribus exponam. nam si quid sanum est in his versibus, haec sunt verba; difficiliora quidem sunt ad explicandum subsequentia. Ahrensius denique causam totius offensionis positam esse censebat in verbo *ἀριθμήσειεν*, quare locum ita sanare voluit, ut coniceret: *ἅλις θρηνῆσαι.* sed mihi quidem viri docti locum sanum sanare studuisse videntur; in verbis enim explicandis pro-

[1]) *φιλοφρενής* liber D.
[2]) *φ. τ' ἂν εἴη* cod. w, 18, c.
[3]) *ἐκύρσαμεν* cod. c.

ficiscendum est a versu 68, in quo recte se omnia habent, si scripseris: *θάρσει· οὐ τοιῆσδ' ἐκυρήσαμεν ἐκ θεοῦ αἴσης;* signo interrogationis posito. dicit igitur Alcmena haec fere: 'Nur Muth! Haben wir nicht von der Gottheit solch Geschick beschieden erhalten?' iam fieri non potest, ut optativus *ἀριθμήσειεν* in infinitivum mutetur; immo plane hoc superfluum est, quia optativus sine particula *ἄν* positus hic locum suum habet; cf. Xen. Comm. II 9, 2: *Οὐκ ἄν θρέψαις ἄνδρα, ὅστις ἐθέλοι τε καὶ δύναιτό σου ἀπερύκειν τοὺς ἐπιχειροῦντας ἀδικεῖν σε*; cf. Kruegeri gr. gr. I § 54, 14, 3. deinde verbum *ἀριθμήσειεν* sine obiecto positum censeo propterea quod hoc inest in antecedenti verbo *φιλοθρηνής*; supplendum igitur est *θρήνους* et totus locus sic in sermonem nostrum convertendus: 'Wie willst du uns beide aufrichten durch die Erwähnung nie zu verschmerzender Leiden? Die sind nicht jetzt zum erstenmale beweint worden. Oder haben wir nicht an denen genug, die uns einen Tag um den andern erstehen und die wir tragen müssen? Wahrlich, ein gar großer Freund von Klagen müsste der sein, der [sie] bei unseren Leiden zählen wollte. Doch nur Muth! Haben wir nicht von der Gottheit solch Geschick beschieden erhalten?' hoc loco sic explicato coniecturae mihi supervacaneae videntur, quamquam concedo poetae id quod sine dubio exprimere voluit: 'tot malis laboramus, ut querellas nostras vix quisquam numerare possit' non prospere successisse. insequentes quoque versus *καὶ δ' αὐτὴν ὁρόω σε, φίλον τέκος, ἀτρύτοισιν ἄλγεσι μοχθίζουσαν* profecto habent, in quo quis offendat. quomodo enim, quaeso, haec sententia: 'atque te ipsam video maerentem' cum antecedenti cohaeret? neque enim antea Alcmena quemquam maerentem commemoraverat. adde quod hemistichium *φίλον τέκος ἀτρύτοισιν* proxime accedit ad Homericum *Διὸς τέκος, Ἀτρυτώνη* (*φίλον τέκος* Il. *Α* 437 alibi); talis imitatio demonstrare potest, qualis poeta carminis auctor fuerit. sed ne ea quidem, quae subsequitur, sententia aperta est ad intellegendum. sunt enim verba haec: *ἐπιγνώμων δέ τοι εἰμὶ ἀσχαλάαν ὅτε δή γε καὶ εὐφροσύνης κόρος ἐστίν*, quae sic vertit Ameisius: 'ignosco vero tibi, quod doles, quoniam sane etiam laetitiae satietas est.' vehementissime in hac sententia offendit I. A. Hartungius, quod in hoc sententiarum contextu nullo modo sermo esse posset de laetitia. quem ipse desideravit sensum restituit coniectura minime probabili, ad quam intellegendam necesse est ipsa explicationis eius verba adferre. 'vix dubitari potest' inquit 'quin poeta dixerit etiam luctui finem imponendum esse, cum ne laetitia quidem in aeternum maneat. et hac et illo satiari homines. qui cum lacrimis et risui satis indulserint, tum rursus eos quiete frui. quam ob rem scribendum erit: *ἐπὶ γνώμην δέ τοι ἐστιν ἀσχαλάαν*, hoc est: non decet homines luctum ultra eos fines, qui ratione constituti sunt, extendere.' inesse in hoc loco quandam difficultatem vidit etiam Gentherus (cf. p. 12)

et Zieglerus, qui expectari potius tale quid adfirmat: *ἀεὶ δέ τοι οὐκ ἐπέοικεν ἀσχαλάαν, ὅτε δή γε καὶ εὐφροσύνης κόρος ἐστίν.* sed vereor ne omnes hi viri docti non satis perspexerint, quid poeta his verbis dicere voluerit. sensus enim verborum hic mihi videtur esse: 'divinitus haec sors nobis accidit, quam moderate ferre debemus; quamquam ei qui ut tu perpetuis malis (*ἀτρύτοισιν ἄλγεσιν*) cruciatur, si quando indignatur, indulgendum est; omnibus enim rebus atque ipsi laetitiae perpetuitas taedium adfert.' cf. Il. *N* 636 *πάντων μὲν κόρος ἐστίν, καὶ ὕπνου καὶ φιλότητος, μολπῆς τε γλυκερῆς καὶ ἀμύμονος ὀρχηθμοῖο.* quem verborum sensum cur viri illi docti non perspexerint, facile eo explicatur, quod is locus totus obscuratur nimia dictionis brevitate, quae poetae sine dubio non laudi ducenda est.

Transeo ad alium locum, in quo item interpretes haeserunt, dico versum 76 sqq., in quo vereor ut apte positum sit verbum *δυσμενέων*; sententia enim *ἅς κε μέγα βλαφθείς τις ἑκὼν ἐπίορκον ὀμόσσαι* nulla alia de causa hic posita esse potest quam ut Alcmena confirmet hoc ius iurandum, quod ipsa det, omnium esse gravissimum. dicere igitur vult Alcmena: 'iuro per Proserpinam et Cererem, quas deas nisi quis est maxima amentia, nemo sciens periurio laedet.' Brunckii igitur et Meinekii coniectura *ἅς τε μέγα βλαφθείς τις ἑκὼν ἐπίορκον ὀμόσσαι* reicienda est, cum sententia optativa locum hic non habeat, et legendum cum codicibus: *ἅς κε μέγα βλαφθείς τις ἑκὼν ἐπίορκον ὀμόσσαι.* quae cum ita sint *ἀνθρώπων* si loco verbi *δυσμενέων* legeretur, nihil haberet miri; cur *δυσμενέων* h. e. inimicorum suorum Alcmena mentionem faciat, difficilius est dictu. quare Hermannus *δυσμενέων* non genetivum esse adiectivi *δυσμενής* statuit, sed nominativum participii (cf. Od. *β* 72 sq.). sed hac explicatione nihil nos iuvari dixit Meinekius, cum verbum *δυσμενέων* sive pro genetivo substantivi sive pro participio haberetur, ad sententiam perincommodum esset, idemque Ahrensius sensisse videtur, cum olim ex coniectura parum probabili ederet: *μὴ μὲν ἐγὼ μηδέν σε χερειότερον φρεσὶ ἦσιν* . . . attamen censeo nos verbum *δυσμενέων* non librarii cuiusdam errori, sed ipsius poetae consilio debere, si quidem hoc cum Hermanno participium esse et poetam periurii causam plerumque inimicitias esse ratum verbo *δυσμενέων* ('feindlichen Herzens') antecedentis sententiae *ἐπίορκον ὀμόσσαι* causam adferre voluisse ponamus.

Deinde offendit Gentherus in verbis versus 96: *δεδεγμένος ὡς ἐπὶ μισθῷ*, quae recte dicit nihil aliud significare posse nisi: 'gewärtig, um Lohn zu empfangen'. tum autem non apte consilium bis significatur; multo melius hoc verbum adhibitum est in c. XXV v. 228 *δεδεγμένος ὁππόθ' ἵκοιτο*; cf. Il. *K* 62 *δεδεγμένος εἰσόκεν ἔλθῃς.* aliam porro offensionem viris doctis versus 117 habere videtur. sermo hic est de Iphicle,

qui Alcmenae in somnis visus est corruisse neque se erigere potuisse, id quod saepe somniantibus accidit; cf. Hom. Il. *X* 199:

> *ὡς δ' ἐν ὀνείρῳ οὐ δύναται φεύγοντα διώκειν·*
> *οὔτ' ἄρ' ὁ τὸν δύναται ὑποφεύγειν οὔθ' ὁ διώκειν·*
> *ὣς ὁ τὸν οὐ δύνατο μάρψαι ποσίν, οὐδ' ὃς ἀλύξαι,*

Verg. Aen. XII 908 sqq.:

> ac velut in somnis, oculos ubi languida pressit
> nocte quies, nequiquam avidos extendere cursus
> velle videmur et in mediis conatibus aegri
> succidimus, non lingua valet, non corpore notae
> sufficiunt vires, nec vox aut verba sequuntur,
> sic Turno . . .

quare comparatur Iphicles cum sene infirmo, qui cum in via corruerit, se erigere non potest, dum unus ex praetereuntibus eum sublevet. causa autem cur ille seni succurrat, adfertur his verbis: *αἰδεσθεὶς ὄπιδα προτέρην πολιοῖο γενείου*, quae Genthero significare videntur: 'aus Scheu, die er vorher schon hegte'. reverentiam hic dici prius habitam (*προτέρην*) explicaverat iam Hermannus; sed hoc adtributum Gentherus languidum et ieiunum censet. quare nonnulli viri docti hoc verbum immutare studuerunt, sed eventu non prospero. veluti coniecerunt Valckenarius *στυγερήν*, Fr. Iacobsius *κρατερήν*, Ahrensius *τρομερήν*. mihi quidem *ὄπις προτέρη* reverentiam non prius habitam, sed praestantiorem significare videtur. cuius verbi *πρότερος* significationis conferas exempla haec: Platonis Lach. p. 183 B. *οἳ κἂν αὐτοὶ ὁμολογήσειαν πολλοὺς σφῶν προτέρους εἶναι πρὸς τὰ τοῦ πολέμου*, Demosth. 32, 15: *πρότερον τῇ δυνάμει καὶ κρεῖττόν ἐστίν.* sensum verborum illustrant versus Tyrtaei hi (fr. 10, 21 sqq. Bgk.):

> *αἰσχρὸν γὰρ δὴ τοῦτο μετὰ προμάχοισι πεσόντα*
> *κεῖσθαι πρόσθε νέων ἄνδρα παλαιότερον*
> *ἤδη λευκὸν ἔχοντα κάρη πολιόν τε γένειον,*
> *θυμὸν ἀποπνείοντ' ἄλκιμον ἐν κονίῃ,*
> *αἱματόεντ' αἰδοῖα φίλῃς ἐν χερσὶν ἔχοντα —*
> *αἰσχρὰ τά γ' ὀφθαλμοῖς καὶ νεμεσητὸν ἰδεῖν . . .*
> *καὶ χρόα γυμνωθέντα· νέοισι δὲ πάντ' ἐπέοικεν,*
> *ὄφρ' ἐρατῆς ἥβης ἀγλαὸν ἄνθος ἔχῃ.*

in hac igitur re, quamquam poeta fortasse clarius sensum exprimere potuit, minus offendo. maioris momenti est, quod in v. 91 sermo est de uno somnio, quod in sequentibus describitur, in v. 122 autem numerus pluralis legitur: *τοῖα ὄνειρα.* qua de re Gentherus recte mihi iudicavisse videtur, cum dicit de compluribus somniis, non de unius somnii partibus cogitandum esse. quam interpretationem eo quod Alcmena per totam

noctem (*παννυχίῃ*) somniasse dicitur commendari. tum autem vim somnii modo narrati non mediocriter imminui atque extenuari.

Ex his igitur, quae exposui, satis elucere censeo eum qui Megaram conscripsit hominem propter ingenium poeticum vix magni aestimandum fuisse; multis enim maioribus minoribusve vitiis totum carmen laborat.[1])

Iam videamus num talia in carmine XXV quoque inveniantur. Gentherus quidem nonnulla sibi detexisse videtur, in quibus legentes offendant. et gravissima eius offensio est in v. 27: *οὔρους μὴν ἴσασι φυτοσκάφοι οἱ πολύεργοι*, ad quem haec adnotat: contineri his imitationem proverbii *ἐπιχώριοι οὖρον ἴσασι*, sed ineptam; nam rusticum his verbis Herculem ad alios delegare, qui eum de Augiae agro edoceant, quamquam ipse v. 1 *φυτῶν ἐπίουρος* esse dicatur. male quoque inter se cohaerere vv. 27 et 28, quorum sententiam Hermannum opusc. VIII 321 his explicare verbis: 'qui termini agrorum sint, nosse fossores, qui ad metendum quotannis veniant.' sane si hic esset sensus huius versus, potest quisquam in eo offendere. ego autem aliter eum interpretandum censeo, quamquam hanc explicationem nescio cur nemo adhuc temptaverit. ad proverbium enim illud iam veteres adnotaverant: *οἱ μὲν τὸ ὅριόν φασιν, οἱ δὲ τὸν ἄνεμον* (cf. Paroem. gr. I p. 245 ed. Gotting.). significat hic, ut mihi videtur, verbum *οὔρους* non 'terminos', sed 'prosperos ventos'; *φυτοσκάφοι*, qui commemorantur, sunt vinitores, id quod verba *πολυβότρυος* in v. 11 et *ἐς ληνοὺς ἱκνεῦνται* ... v. 29 indicant; antecedentem quoque versum (26) *τριπόλοις σπόρον ἐν νειοῖσιν ἔσθ' ὅτε βάλλοντες καὶ τετραπόλοισιν ὁμοίως* spectare ad vitium culturam declarant hi Vergilii versus Georg. II 397 sqq.

> *est etiam ille labor curandis vitibus alter,*
> *cui numquam exhausti satis est; namque omne quotannis*
> *terque quaterque solum scindendum.*

quo in sententiarum contextu versus 27 quoque ad eandem rem spectare debet. et re vera in vitibus serendis ventorum etiam rationem habendam esse idem nos docet scriptor; leguntur enim in eiusdem Georg. libri vv. 315 sqq., quibus de vitibus serendis agitur, haec praecepta:

> *nec tibi tam prudens quisquam persuadeat auctor*
> *tellurem Borea rigidam spirante movere.*
> *rura gelu tum claudit hiemps, nec semine iacto*
> *concretam patitur radicem adfigere terrae ...*

tum aptissime cohaeret versus 27 et cum antecedenti et subsequenti, in quo verbum *ὥριον* — ut hoc quoque commemorem — nihil aliud

---

[1]) Similiter iudicat Wilamowitzius in Eur. Herc. II 323, adn. 10.

significare potest nisi quod nos dicimus 'passend, geeignet'. verba igitur: *θέρος ὥριον* respondent nostris 'der Theil des Sommers, der sich (zur Ernte) eignet'. iam versibus illis 25—28, qui ad vinitoris operam spectant, apte adiunguntur sequentes: *πᾶν γὰρ δὴ πεδίον τόδ' ἐπίφρονος Αὐγείαο . . .*, quibus causa adfertur sententiae antecedentis: *οἵ βασιλῆι πολὺν καὶ ἀθέσφατον ὄλβον ῥύομεθ'*. unde adparet versibus sic explicatis nihil omnino restare offensionis.

Deinde offendit Gentherus in versu 50, de quo his verbis disputat p. 13: 'Hercules cum Augia colloqui cupit; qui nisi ruri sit, agricola se ad custodem natu maiorem ducat, quocum res quasdam communicet, ut alias ex eo comperiat. (v. 49) atque illis quidem Herculem rem significare, cuius causa ad Augiam venerit, his edoceri velle, ubinam Augias commoretur ac qua via ad eum pervenire possit, suspicari licet. tum autem versus 50 *ἄλλου δ' ἄλλον ἔθηκε θεὸς ἐπιδευέα φωτῶν*, qui proverbii similis est, locum suum non habere videtur, quia custos ille Hercule omnino non eget.' sed hic versus referendus est ad verba v. 47 *σύ μοι φράσον ἡγεμονεύσας* neque vituperari potest propterea, quod vinitor ille Herculis opera non egeat. est enim in Herculis verbis sensus hic: 'alter alterius opera eget; nunc ego tua egeo, modo tu fortasse egebis mea. quare velim mihi viam monstres.' de eiusdem viri docti sententia porro in v. 63 verbum *χειροπληθής* tamquam adtributum Herculis clavae vix aptum est; sed de hac re plura verba non faciam, quia iustam causam non video, cur illud adtributum clavae non adiungatur; cf. Theocr. XIII 57: *ῥόπαλον, τό οἱ αἰὲν ἐχάνδανε δεξιτερῇ χείρ*. deinde Homeri imitationem non aptam inesse in versibus 78—83 censet Gentherus p. 12. 'quanta sunt' inquit 'canes in hominem oboedientia (*ἐπιπειθές* cum Ahrensio legendum censet, qua in re ei adsentior). qui si etiam saperent ac dignoscerent, quem debeant adlatrare, quem non debeant, inter omnes bestias facile principatum obtinerent. — equidem canes quamquam rationis expertes sunt, ipsa oboedientia ceteras bestias superare censeo; tota sententia ex huius loci Homerici (Il. *Γ* 223) imitatione orta esse videtur:

> *φαίης κε ζάκοτόν τε τιν' ἔμμεναι ἄφρονά τ' αὔτως.*
> *ἀλλ' ὅτε δὴ ὄπα τε μεγάλην ἐκ στήθεος εἴη*
> *καὶ ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσιν,*
> *οὐκ ἂν ἔπειτ' Ὀδυσῆί γ' ἐρίσσειε βροτὸς ἄλλος.'*

sed cum hic locus illi Homerico non tam similis sit, ut imitatio iure statui possit, cur quaeso ineptam imitationem poetae obtrudamus? immo sententia illa cur hic posita sit, ea causa est, quod canes Herculem adlatrasse narratum erat in versibus antecedentibus atque senex hoc tamquam excusans hanc profert sententiam: id unum dolendum est, quod canes non dignoscunt, quem debeant adlatrare, quem non debeant

(significat Herculem ipsum); sane si haec quoque iis indoles esset, omnium bestiarum essent principes.

De versibus 89—94:

αὐτὰρ ἔπειτα βόες μάλα μυρίαι ἄλλαι ἐπ' ἄλλαις
ἐρχόμεναι φαίνονθ' ὡσεὶ νέφη ὑδατόεντα,
ὅσσα τ' ἐν οὐρανῷ εἶσιν ἐλαυνόμενα προτέρωσε
ἠὲ νότοιο βίῃ ἠὲ Θρηκὸς βορέαο·
τῶν μέν τ' οὔτις ἀριθμὸς ἐν ἠέρι γίνετ' ἰόντων,
οὐδ' ἄνυσις· τόσα γάρ τε μετὰ προτέροισι κυλίνδει
ἲς ἀνέμου, τὰ δέ τ' ἄλλα κορύσσεται αὖτις ἐπ' ἄλλοις·
τόσσ' αἰεὶ μετόπισθε βοῶν ἐπὶ βουκόλι' ᾔει

Gentherus ita disputat: 'comparantur hoc loco numerosi Augiae boum greges, qui in stabula revertuntur, cum nubibus imbriferis, quae austro et aquilone agitantur. aptior sane esset eorum cum undis comparatio, qualis legitur apud Homerum Il. Δ 422—426. fortasse recurrit eius loci recordatio in verbo *κορύσσεται* atque in ineptissimo illo *ὑδατόεντα*; nam nubes imbre graves non solent ita coartatae per caelum transire.' at equidem comparationem sat aptam censeo; cum gravibus enim nubibus, quae innumerabiles consociatae se premunt ita, ut modo praecedant ceteras modo ab iis superentur, perbene comparatur ingens grex boum opimorum de pastu redeuntium. atque ut boves a pastoribus ita nubes austro aquiloneve propelluntur. en habes comparationem aptissimam.

Neque magis ea, quae Gentherus de versibus 269 sqq. exposuit demonstrandi causa verba *ὀρθὸν ἀείρας ἄπνευστον* non satis clara esse probanda sunt. res enim, quae hic describitur, sic explicari debet: Hercules leonem a tergo adortus ita arreptum tenet, ut femoribus suis bestiae latera, bracchiis fauces constringat. iam cum leo animam agens omnium virium contentione manibus Herculis se extricare studeat, Hercules etiam, id quod consentaneum est, quam maxime dat operam, ut fauces ei elidat. qua re factum est, ut leonem collem summa vi constringens arrigeret et feram arrectam (*ὀρθὸν ἀείρας ἄπνευστον*) strangularet.

Iam vero series offensionum, quarum nullam iustam causam esse vidimus, exhausta est. at contra multae insunt in hoc carmine res, quae eum qui id composuit hominem magni ingenii fuisse declarant. cuius rei iam Hermannus, Greverus, Gentherus nonnulla exempla adtulerunt. veluti ex eo ipso, quod poeta magnam corporis dignitatem Herculis non ipse describit, sed quantum ea agricola motus sit exponit, concludere possumus eum sane poetico ingenio valuisse. conferas quaeso vv. 62 sqq.:

ὣς εἰπὼν ἡγεῖτο, νόῳ δ' ἔτι πόλλ' ἐμενοίνα
δέρμα τε θηρὸς ἰδὼν χειροπληθῆ τε κορύνην,

ὁππόθεν ὁ ξεῖνος· μέμονεν δέ μιν αἰὲν ἔρεσθαι·
ἂψ δ' ὄκνῳ ποτὶ χεῖλος ἐλάμβανε μῦθον ἰόντα,
μή τί οἱ οὐ κατὰ καιρὸν ἔπος προτιμυθήσαιτο,
σπερχομένου . . .

deinde velim animadvertas quam vere vita moresque pastorum describantur v. 85 sqq. rectissime de hac descriptione Brinkerus p. 65 dixit: 'omnia ex natura ipsa sunt expressa; nostris paene oculis videmus armenta pulverem moventia et magno mugitu ad stabula redeuntia; videmus boves introduci a pastoribus in stabula, ut mulgeantur.' ac re vera unusquisque versus indicat poetam, qui non solum delectatus sit vita rustica, sed etiam eam dignis quoque verbis describere potuerit. neque vero nos fugiat quam scite a poeta causa excogitata sit, quare taurus impetum in Herculem fecerit; cf. v. 142 sqq.:

ὅς δή τοι σκύλος αὖον ἰδὼν χαροποῖο λέοντος
αὐτῷ ἔπειτ' ἐπόρουσεν ἐυσκόπῳ Ἡρακλῆι . . .

laudandus porro est versus 161 ἧκα παρακλίνας κεφαλὴν κατὰ δεξιὸν ὦμον, optima sane est descriptio leonis ira flagrantis in vv. 245 sqq. etiam extrema carminis pars, dico vv. 272 sqq., quibus quomodo Hercules pellem leonis corpori detraxerit, describitur ingeniosum poetam hoc carmen scripsisse declarat. quid quod vel in re metrica eum satis versatum fuisse elucet ex vv. 145—147:

τοῦ μὲν ἄναξ προσιόντος ἐδράξατο χειρὶ παχείῃ
σκαιοῦ ἄφαρ κέραος, κατὰ δ' αὐχένα νέρθ' ἐπὶ γαίης
κλάσσε βαρύν περ ἐόντα, πάλιν δέ μιν ὦσεν ὀπίσσω . . .

videmus tres versus meris dactylis constantes aptissime adhibitos esse ad celeritatem, qua Hercules taurum adgredientem oppressit, depingendam. eadem res observatur in vv. 256—258:

(τῇ δ' ἑτέρῃ ῥόπαλον κόρσης ὕπερ αὖον ἀείρας)
ἤλασα κὰκ κεφαλῆς, διὰ δ' ἄνδιχα τρηχὺν ἔαξα
αὐτοῦ ἐπὶ λασίοιο καρήατος ἀγριέλαιον
θηρὸς ἀμαιμακέτοιο· πέσεν δ' ὅγε πρὶν ἔμ' ἱκέσθαι . . .

quorum metro ipso significatur, quanta celeritate clava per aëra striderit. quae res quamquam accuratius fortasse exponi potuerunt, ex eis tamen, quae adtuli, elucere censeo multo praestantiorem Herculis auctorem esse eo qui Megaram conscripsit. cur igitur cum Hillero faciamus aut cum Genthero eo decurramus, ut Megaram prius opus eiusdem poetae esse putemus, cum nihil sit, quo haec sententia comprobetur?

Quibus expositis forsitan quaeras, a quonam Herculem, a quo Megaram conscripta esse statuamus. ac primum quidem in medium veniat Ἡρακλῆς λεοντοφόνος. quod carmen, si codices respicimus, in

omnibus statim post carmina Theocritea I—XVI collocatum videmus.[1]) quae cum ita sint carmen iam in vetere quodam libro una cum ceteris Theocriti carminibus scriptum fuisse videtur. atque hoc ipse Hillerus concedit, cum ex eo quoque elucere dicat carmen in vetustissimo carminum Theocriteorum exemplari fuisse, quod in Hesychii lexico eius rationem habitam esse videmus, id quod verba nonnulla eius explicata declarant, veluti: *αὐτόφλοιον· αὐτόδερμον* v. 208; *ἄρρηνες· ἄγριον, δυσχερές* v. 83 (hoc vocabulum nisi hoc loco non invenitur); *Ἐνόδιος· Ἑρμῆς Πάρω** (*ἐν Πάρῳ?*) v. 4; *κνήμαργος· κνημώδης, παχύκνημος* v. 127 (hoc vocabulum alibi nusquam extat) aliaque de quibus videas M. Schmidtii edit. V 171. neque opus est multis verbis evincere quod item Hillerus concedit, numquam futurum fuisse, ut Pamphilus sive ad quem auctorem Hesychii lexicon referendum est, hoc carmen respiceret, si libro, qui id contineret, nullum auctoris aut poetae cuiusdam minus noti nomen inscriptum fuisset. inde concludere possumus Pamphilum hoc carmen in suo exemplari inter Theocriti carmina invenisse. sed iam ante Pamphili tempora carmen XXV Theocriti esse habitum alia res demonstrat. initium enim carminis Theocritei VIIII, dico versus 1—6, non a Theocrito scriptum esse hodie inter omnes constat. quos versus ab interpolatore quodam artis poeticae imperito consarcinatos esse veri simile est. qua in re perficienda consentaneum est hominem illum quam maxime operam dedisse, ut additamentum suum Theocriti esse videretur. quod ita adsequi studuit, ut verba locutionesve, quae in aliis Theocriti carminibus invenit, in suum usum converteret. cuius rei conferas exempla haec: v. 1 *βουκολιάζεο Δάφνι* cf. V 60 *αὐτόθε βουκολιάσδευ*, v. 1 *τὺ δ' ᾠδᾶς ἄρχεο πρᾶτος* cf. VI 5 *πρᾶτος δ' ἄρξατο Δάφνις*, v. 3 *μόσχως βουσὶν ὑφέντες, ὑπὸ στείραισι δὲ ταύρως* cf. IIII 4 *ἀλλ' ὁ γέρων ὑφίητι τὰ μόσχια*, v. 4 *ἀμᾷ βόσκοιντο* cf. XI 39 *ἀμᾷ . . . ἀείδων*. quid quod in his versibus legitur etiam verbum *ἀτιμαγελεῦντες*? nonne igitur probabile est auctorem nulla alia de causa hoc verbo[2]) usum esse quam quod in carmine XXV vocabulum rarissimum *ἀτιμαγέλης*[3]) legerit? quae cum ita sint iam interpolator iste carmen XXV Theocriti duxisse videtur. sed possumus etiam tempus, quo initium carminis VIIII confectum est, definire; neque enim dubium est quin Vergilio media huius carminis pars nota fuerit; cf. ecl. VII 49 sqq.:

hic focus et taedae pingues, hic plurimus ignis
semper et adsidua postes fuligine nigri;

---

[1]) In cod. D ante carmen XXV Megara legitur.

[2]) *Ἀτιμαγελέω* legitur apud Aristot. Hist. An. VI 18, VIIII 31, postea apud Lucianum.

[3]) *Ἀτιμαγέλης* legitur Anth. Pal. VI 255, 2; cf. Bekkeri Anecd. p. 459, 31: *ἀτιμαγέλης ὁ ἀποστάτης τῆς ἀγέλης, ταῦρος· οὕτω Σοφοκλῆς.*

hic tantum Boreae curamus frigora, quantum
aut numerum lupus aut torrentia flumina ripas.

et Theocr. VIIII 19 sqq.:

ἐν πυρὶ δὲ δρυΐνῳ χόρια ζέει, ἐν πυρὶ δ' αὖαι
φαγοὶ χειμαίνοντος· ἔχω δέ τοι οὐδ' ὅσον ὤραν
χείματος ἢ νωδὸς καρύων ἀμύλοιο παρόντος.

sed Vergilius etiam initium huius carminis ante oculos habuisse videtur, si versum quartum et sequentem: *ἐμὶν δὲ τὺ βουκολιάζευ ἔκποθεν, ἄλλοθε δ' αὖτις ὑποκρίνοιτο Μενάλκας* comparamus cum ecl. III 58: *incipe, Damoeta, tu deinde sequere, Menalca.* idem censet Hillerus in adn. ed. Fritzschianae p. 143.[1]) quod si probatur, sequitur iam Vergilii temporibus hoc additamentum carminis VIIII in Theocriti editionibus scriptum fuisse. atque haec sententia alia quoque re fulcitur. videntur enim primi carminis versus ab eodem interpolata esse, qui extremam partem confecit; nam hanc quoque interpolatam esse constat. qui versus (28—36) nulla alia de causa additi esse possunt quam ut eis Bucolicorum liber clauderetur; quare id carmen in vetere quodam exemplari ultimum locum obtinuisse veri simile est.[2]) iam vero velim compares cum v. 28: *βουκολικαὶ Μοῖσαι, μάλα χαίρετε* ... epigrammatis illius ab Artemidoro grammatico confecti versum priorem: *βουκολικαὶ Μοῖσαι σποράδες πόκα, νῦν δ' ἅμα πᾶσαι* ... nonne tibi Artemidorus versum 28 respexisse videtur? qui cum primo ante Chr. n. saeculo floruerit, iam eius aetate interpolatas illius carminis partes notas fuisse edocemur, id quod optime congruit cum eis quae supra exposuimus.

Sed ut ad id quod institui revertar, si interpolatorem illum primo a. Chr. n. saeculo adsignandum esse statuimus, sequitur eadem aetate carmen XXV, ex quo interpolator hausit, Theocriti esse habitum. idem mihi declarare videtur epigramma IIII falso Theocrito adscriptum. est autem hoc epigramma ab homine conscriptum in Theocriteis bene versato, qui complures locos Theocriteos imitatione expressit; cf. exempla a Brinkero p. 75 congesta. quid? quod in v. 3 legitur rarissimum verbum *αὐτόφλοιον*,[3]) quod in eadem sede reperitur in carminis XXV v. 208? ex his rebus omnibus cum aliqua probabilitate concludere licet — nam quis pro certo adfirmet? — iam veteres carmen XXV Theocriti opus esse duxisse. cur igitur nos non idem censeamus, si quidem nihil impedit quominus carmen ad Theocritum auctorem referamus?

---

[1]) Ahrensius quidem Phil. XXXIII 393 interpolatorem Vergilii versus imitatum esse coniecit, quod mihi nequaquam probabile esse videtur.

[2]) Cf. Brinkerum l. c. p. 32—35, Susemihlium l. c. I p. 220.

[3]) Hoc verbum nisi locis supra adlatis non invenitur.

Quod ut demonstremus, iam in carminis argumentum, compositionem, dictionem, rem metricam accuratius inquiramus. ac dignum quidem carmen Theocriti ingenio mihi videri supra exposui. quod vero Hillerus id exilitate quadam orationis et languore narrationis a Theocriti poematis differre iudicat, hoc iudicium in opinione eius positum est; varia enim de hac re sententia est et pro suo quisque animo iudicabit. equidem, qui aliter de carmine iudico, contra Hillerum Hermanni, ingeniosi critici, auctoritate uti possum. argumentum si spectamus, Herculem apud Augiam commorantem et postea certamen illud cum leone Nemeaeo narrantem videmus; sed singularis atque unica est condicio huius carminis. qua de re conferas quaeso quae Brinkerus exposuit p. 64: 'tantum enim abest, ut aliorum poetarum exemplum secutus auctor voluerit describere, quomodo Hercules stabula Augiae purgaverit, ut Herculem introduxerit armenta Augiae inspicientem tantum quasi atque admirantem.' in parte autem altera, quo omnia tendunt, 'Herculem ipsum facit narrantem, quomodo leonem Nemeaeum interfecerit'. ob hanc causam solam vix alium posse excogitari censet Brinkerus nisi Theocritum, amatorem illum bucolicarum inprimis rerum, qui ne in carmine XVI (cf. v. 90 sqq.) quidem ut hoc suum studium atque delicias abiceret animum potuerit inducere, tamquam huius carminis auctorem. atque is duobus etiam aliis carminibus de Hercule egit, carmine XIII, quo quomodo Hercules Hylam, puerum sibi carissimum, amiserit narrat, et carmine XXIIII, quo Herculis infantis gloriosam cum serpentibus pugnam puerique educationem describit. iam si descriptionem habitus Herculis in carmine XIII et XXV comparamus, nulla differentia observatur; Hercules XIII 5 est *ὠμφιτρύωνος ὁ χαλκεοκάρδιος υἱός*, XXV 112 sq. de eo dicuntur haec: *ἄρρηκτόν περ ἔχων ἐν στήθεσι θυμὸν | Ἀμφιτρυωνιάδης καὶ ἀρηρότα νωλεμὲς αἰεί.* armatus est clava et sagittis XIII 56 *ᾤχετο, Μαιωτιστὶ λαβὼν εὐκαμπέα τόξα | καὶ ῥόπαλον, τό οἱ αἰὲν ἐχάνδανε δεξιτερὴ χείρ*, cf. XXV 206 sqq.• *αὐτὰρ ἐγὼ κέρας ὑγρὸν ἑλὼν κοίλην τε φαρέτρην | ἰῶν ἐμπλείην νεόμην, ἑτέρηφι δὲ βάκτρον | εὐπαγές, αὐτόφλοιον, ἐπηρεφέος κοτίνοιο, | ἔμμητρον, τὸ μὲν αὐτὸς ὑπὸ ζαθέῳ Ἑλικῶνι | εὑρὼν σὺν πυκινῇσιν ὁλοσχερὲς ἔσπασα ῥίζαις* et v. 63 *δέρμα τε θηρὸς ἰδὼν χειροπληθῆ τε κορύνην.* magni deinde momenti est, quod Theocritus XIII 6 diserte Herculem praedicat tamquam victorem leonis Nemeaei: *ὃς τὸν λῖν ὑπέμεινε τὸν ἄγριον.* porro notum etiam est Theocritum epigramma (est vicesimum) in Pisandrum, Heracleae cuiusdam poetam, confecisse, cuius primi versus hi sunt: *τὸν τῶ Ζανὸς ὅδ' ὔμιν υἱὸν ὡνήρ | τὸν λεοντομάχαν, τὸν ὀξύχειρα, | πρᾶτος τῶν ἐπάνωθε μουσοποιῶν | Πείσανδρος συνέγραψεν ὡκ Καμίρου | χὤσους ἐξεπόνασεν εἶπ' ἀέθλους.* scite Brinkerus p. 65 hoc epigramma Theocritum nulla alia de causa scripsisse coniecit quam quod descriptionem illam expressit ad exemplum Pi-

sandri. 'quid enim' inquit 'quod Theocritus cum in universum in v. 5 commemorat labores Herculis tum praecipue in v. 2 τοῦ λεοντομάχου facit mentionem?'

Postquam igitur expositum est Theocritum argumento carminis auctorem eius esse comprobari transeo ad compositionem paucis verbis illustrandam. totum carmen divisum esse in partes tres, vv. 1—84, 85—152, 153—181, supra dictum est. similis compositio observatur in carmine XXIIII. nam in eo quoque tres partes distinguuntur, pars prima (vv. 1—62), qua Herculis infantis factum narratur, pars altera (vv. 62—100), quae Tiresiae vaticinationem continet, pars tertia (vv. 100—138), quibus versibus quomodo Hercules educatus sit, describitur; cf. inprimis partis alterius versum primum (v. 63) ὄρνιθες τρίτον ἄρτι τὸν ἔσχατον ὄρθρον ἄειδον· Τειρεσίαν τόκα μάντιν cum carminis XXV alterius partis versu primo (v. 85):

Ἠέλιος μὲν ἔπειτα ποτὶ ζόφον ἔτραπεν ἵππους
δείελον ἦμαρ ἄγων· τὰ δ' ἐπήλυθε πίονα μῆλα . . .

quanam autem de causa singulae carminis XXV partes laxius inter se coniunctae sint, iam cum de initio eius verba fecimus, significavimus. videtur enim carmen ex praeceptis Callimachi ortum esse, quem maiora carmina epica respuisse notum est. cuius cum praecepta observare studeret Theocritus, sine dubio primo ei venit in mentem carmen ita in brevius contrahere, ut quae facili negotio cogitatione suppleri possent exponere omnino supersederet. ac re vera Theocritum tum, cum magna illa lis esset inter Callimachum et Apollonium Rhodium, ab illius partibus stetisse adparet ex versibus carminis VII 45 sqq.:

ὥς μοι καὶ τέκτων μέγ' ἀπέχθεται ὅστις ἐρευνῇ
ἶσον ὄρευς κορυφᾷ τελέσαι δόμον εὐρυμέδοντος,
καὶ Μοισᾶν ὄρνιχες ὅσοι ποτὶ Χῖον ἀοιδόν
ἀντία κοκκύζοντες ἐτώσια μοχθίζοντι,

quibus sine dubio scriptores maiorum carminum epicorum, qualis fuit Apollonius, notantur.[1]) atque habemus etiam aliud exemplum, quo idem demonstrare possumus, dico carmen XIII. eadem enim fabula, quae hoc carmine tractatur, multo fusius ab Apollonio Rhodio I 1207 sqq. narrata est. iam vero velim animadvertas quam breviter et eleganter Theocritus rem absolverit. nonne ex hoc carmine ipso perspicuum fit Theocritum a carminibus epicis maioris ambitus abhorruisse?[2]) atque Brinkerus quidem etiam designari posse carmen Callimachi, quo Theocritus ad carmen XXV scribendum excitatus sit, contendit. haud enim sibi errare videtur, si suspicetur Theocritum Callimachi carmine 'Hecale' inscripto ad 'Herculem' componendum commotum esse. quam ad sen-

[1]) Cf. de hac re quae Susemihlius I 208, adn. 34 recte exposuit.
[2]) Cf. Susemihlium I 209, adn. 35.

tentiam confirmandam comparat Brinkerus Herculis apud Augiam commorationem cum priore parte Hecalae Callimacheae, qua narratum est, quomodo Theseus usus sit hospitio Hecalae, descriptionem autem certaminis Herculis cum leone Nemeaeo opponit Thesei certamini cum tauro Marathonio. atque re vera ex Crinagorae epigrammate, quod in Callimachi Hecalen confecit (cf. Anth. Pal. VIIII 545), intellegimus etiam Hecalen Callimachi in universum duas partes continuisse; sic enim ille v. 3 sq.:

ἀείδει δ' Ἑκάλης τε φιλοξείνοιο καλιήν
καὶ Θησεῖ Μαραθὼν οὓς ἐπέθηκε πόνους.

quamquam certum mihi id quod Brinkerus suspicatur non videtur; neque enim integrum illud Callimachi carmen restituere possumus, neque eis, quae nuper reperta sunt, fragmentis a Th. Gomperzio editis comprobatur Naekii sententia, quae adhuc valuit apud viros doctos. negabat enim ille Hecalen *μέγα ποίημα* fuisse (Mus. Rhen. II p. 518), id quod mirae cuidam in minutis rebus describendis accurationi, quae in fragmentis illis observatur, repugnat; cf. praeterea schol. Call. ad hymn. II 106 *ἐγκαλεῖ διὰ τούτων τοὺς σκώπτοντας αὐτὸν μὴ δύνασθαι ποιῆσαι μέγα ποίημα, ὅθεν ἠναγκάσθη ποιῆσαι τὴν Ἑκάλην.* sed hoc mihi certum videtur ipsa carminis de quo agimus compositione suaderi, ut Theocritum auctorem statuamus.

Iam antequam me ad dictionem carminis percensendam converto, commemorabo etiam descriptionem Herculis certaminis cum leone Nemeaeo habere aliquid, quod cum alio Theocriti carmine comparetur. nam priorem partem, quae in vita rustica describenda occupata est, Theocriti esse posse elucet ex argumento. in parte extrema Hercules cum leone more luctantium pugnans describitur; cf. v. 266 sqq. cum Philostr. Imagg. 1, 6 p. 303, 8 K. (ed. Vind. 14, 9). pugillationem quoque depictam habes in carminis XXII vv. 75—134, quorum nonnulli iure cum illa parte, qua certamen Herculis continetur, comparari possunt; cf. XXII 98 *ἔστη δὲ πληγαῖς μεθύων* et XXV 259 *ἐπὶ τρομεροῖς ποσὶν ἔστη νευστάζων κεφαλῇ*, XXII 129 *κεῖτ' ἀλλοφρονέων* et XXV 262 *τὸν μὲν ἐγὼν ὀδύνῃσι παραφρονέοντα βαρείαις νωσάμενος*, XXII 106 *ὕπτιος ἐν φύλλοισι τεθηλόσιν ἐξετανύσθη* et XXV 270 *μέχρι οἱ ἐξετάνυσσα βραχίονας ὀρθὸν ἀείρας* . . . deinde velim conferas XXV 148 sq. *ὁ δέ οἱ περὶ νεῦρα τανυσθεὶς | μυὼν ἐξ ὑπάτοιο βραχίονος ὀρθὸς ἀνέστη* cum XXII 48 *ἐν δὲ μύες στερεοῖσι βραχίοσιν ἄκρον ὑπ' ὦμον | ἕστασαν ἠύτε πέτροι ὀλοίτροχοι* . . . nonne hi loci tamquam clamare videntur eundem hominem utriusque carminis fuisse auctorem?

His absolutis videamus quid sit de dictione carminis statuendum. sermo, quo poeta in hoc carmine usus est, prorsus est epicus; attamen nonnulla ab eo usurpata sunt, quae epicis ignota ac solis fere bucolicis

poetis concessa fuisse recte dixit Hermannus (Ephem. stud. antiqu. 1840, p. 969), velut v. 53 *θέλεις* (cf. Theocr. XV 41 *δάκρυ' ὅσσα θέλεις*), v. 84 *ποτὶ τὠὐλίον* (cf. Theocr. XI 12 *πολλάκι ταὶ διες ποτὶ τὠὐλίον αὐταὶ ἀπῆνθον*), v. 263 *νωσάμενος*, vv. 11 et 14 *ὧδε*, quod respondet latino 'hic' (cf. Theocr. I 106, 120 sq., III 53, IIII 51, V 100), vv. 35 et 54 *ὧδε* idem quod latinum 'huc' (cf. Theocr. I 151, III 38, XV 33, 78). per totum carmen patet imitatio Homeri. cuius rei exempla, cum iam Gentherus diligenter congesserit, adferre supersedeo. atque Homerum Theocritus quoque in carmine XXIIII secutus est, cuius rei haec adferam exempla: v. 7 *γλυκερὸν ὕπνον* cf. Il. *K* 4 *ὕπνος γλυκερός*, v. 10 *ὣς φαμένα* cf. Il. *X* 247 *ὣς φαμένη*, ibid. *σάκος μέγα* cf. Il. *Σ* 478 *σάκος μέγα*, v. 13 *αἰνὰ πέλωρα* cf. Od. *κ* 219 *αἰνὰ πέλωρα*. ibid. Iuno *πολυμήχανος* dicitur sicuti apud Homerum Ulixes; cf. Il. *B* 173. v. 18 *ἀπ' ὀφθαλμῶν δὲ κακὸν πῦρ ἐρχομένοις λάμπεσκε* cf. Il. *N* 474 *ὀφθαλμὼ δ' ἄρα οἱ πυρὶ λάμπετον*, v. 21 *καὶ τότε* cf. Od. *δ* 461, Il. *P* 175, v. 24 *ἀναιδέας ὀδόντας* cf. Il. *Δ* 521 *λᾶας ἀναιδής*, v. 25 *οὔλαν χλαῖναν* cf. Od. *τ* 225 *χλαῖναν οὔλην*, v. 26 *φευγέμεν ὁρμαίνων* cf. Il. *Θ* 511 *φεύγειν ὁρμήσωνται*, v. 28 *φάρμακα λυγρά* cf. Od. *κ* 236 *φάρμακα λύγρ'*, v. 31 *παῖδα γαλαθηνόν* cf. Od. *δ* 336 *νεβροὺς γαλαθηνούς*, v. 39 *ἠριγενείας*: Homericum illud epitheton Aurorae nominis proprii vice iam fungitur Od. *χ* 197, *ψ* 347, v. 41 *ὣς φάθ'· ὁ δ'* cf. Od. *ε* 451 *ὣς φάθ'· ὁ δ'* . . ., v. 42 *δαιδάλεον ξίφος* cf. Il. *Z* 418 *ἔντεσι δαιδαλέοισιν*, v. 45 *κολεὸν μέγα* cf. Il. *Γ* 272 *μέγα κουλεόν*, v. 49 *θυρᾶν ἀνακόψατ' ὀχῆας* cf. Od. *φ* 47 *θυρέων δ' ἀνέκοπτεν ὀχῆας*, v. 50 *ἢ ῥα γυνὴ* (*Φοίνισσα*) cf. Il. *Z* 390 *ἢ ῥα γυνὴ ταμίη*, ibid. *δμῶες ταλασίφρονες* cf. Il. *Δ* 466 *'Οδυσσῆος ταλασίφρονος*, v. 51 *οἱ δ' αἶψα προγένοντο* cf. Il. *Σ* 525 *οἱ δὲ τάχα προγένοντο*, v. 54 *χείρεσσιν ἁπαλαῖσιν* cf. Od. *φ* 151 *χεῖρας ἁπαλάς*, v. 58 *δεινὰ πέλωρα* cf. Il. *B* 321 *δεινὰ πέλωρα*, v. 60 *ὑπαὶ δείους* cf. Il. *K* 376 *ὑπαὶ δείους*, v. 62 *ἐμνάσατο κοίτου* cf. Od. *η* 138 *μνησαίατο κοίτου*, v. 66 (in versus exitu) *ὅπως τελέεσθαι ἔμελλεν* cf. Il. *B* 36 *ἅ ῥ' οὐ τελέεσθαι ἔμελλον*, v. 71 *ἐνὶ φρεσὶ θέσθαι* cf. Il. *A* 297 *ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσιν*, Od. *δ* 729 *ἐνὶ φρεσὶ θέσθε*, v. 83 (in versus exitu) *διαδηλήσασθαι* cf. Il. *Δ* 67 et 72 *δηλήσασθαι*, v. 85 *καρχαρόδων λύκος* cf. Il. *N* 198 *κυνῶν ὕπο καρχαροδόντων*, v. 87 *κάγκανα ξύλ'* cf. Il. *Φ* 364 *ξύλα κάγκανα*, v. 101 *Ἡρακλέης δ' ὑπὸ ματρὶ νέον φυτὸν ὣς ἐν ἀλωᾷ ἐτρέφετ'* cf. Il. *Σ* 57 *τὸν μὲν ἐγὼ θρέψασα φυτὸν ὣς γουνῷ ἀλωῆς*, v. 116 *βλοσυρῷ προσώπῳ* cf. Il. *H* 212 *βλοσυροῖσι προσώπασι*, v. 119 *φίλα φρονέων* cf. Il. *Δ* 219 *φίλα φρονέων*, v. 121 *Ἄργει ἐν ἱπποβότῳ* cf. Od. *δ* 562 *Ἄργει ἐν ἱπποβότῳ*, v. 135 *κρέα ὀπτά* cf. Od. *χ* 21 *κρέα ὀπτά*. idem poeta in carmine XXII saepissime imitatus est hymnos Homericos, quibus Dioscuri celebrantur; cf. Futhium l. c. p. 12 sq. quae cum ita sint, ne haec quidem Homeri imitatio impedit, quominus carmen Theocrito adtribuamus.

Contra sunt multa in hoc poemate, quae cum in aliis Theocriti carminibus similiter sint dicta, fortasse aliquid ad eundem auctorem statuendum valent. ac primum eadem singulorum verborum significatio aut conformatio observatur: v. 11, 14, 35, 54 adverbium *ὧδε* significatione loci usurpatum est; cf. exempla supra adlata. v. 22 *ἱερὸν ἁγνόν*, 'nemus sanctum'; *ἱερὸν* notione substantivi usurpatum est, cf. XXVIII 4 *Κύπριδος ἶρον χλωρόν*, v. 28 *θέρος ὥριον* cf. VII 85 *ἔτος ὥριον* (Hillerus sine iusta causa diversam significationem statuit), v. 119 verbum *ἀφνειός* cum dativo (*μήλοισι*) coniunctum est, cf. XXIIII 106 *μεγάλαις ἀφνειὸς ἀρούραις*, v. 180 *οὐξ Ἑλίκηθεν* cf. XXII 11 *ἐκ πρώρηθεν*, v. 185 *λύκων ὁλοφώιον ἔρνος* ubi vide, quae adnotavit Wuestemannus: '*ἔρνος* proprie de plantis dicitur, sed eadem vox ad homines et animalia transfertur'; cf. VII 44 *ἐκ Διὸς ἔρνος*, v. 206 *κέρας ὑγρόν* cf. I 55 *ὑγρὸς ἄκανθος*.

Deinde recurrunt in hoc carmine verba in Theocriti carminibus usitatissima, veluti v. 20 *πλατάνιστοι* cf. XVIII 44, XXII 76, v. 25 *σπόρος* (vocabulum ignotum antiquioribus poetis epicis legitur quoque X 14, XVI 94, cf. Brinkerum ad X 14), v. 21 *ἀγριέλαιος* cf. VII 18 (ante Theocriti tempora hoc verbum non invenitur. vide quae Brinkerus de eo dicat: 'vocatur autem *ἀγριέλαιος* etiam *κότινος*; cf. V 32, 100, XXV 208. videtur autem Theocritus solus ex poetis epicis hoc vocabulo *κότινος* usum esse'), v. 134 *λάσιος*; cf. quae Fritzschius ad hunc locum adnotavit: 'vocabulum *λάσιος* adamasse videtur Theocritus; cf. XXVI 3, XXII 42, VII 15, XII 4, XI 50, 31, XXV 257 (XXV 272 *λασιαύχην*)'.

Adde quod compluribus locis in utroque carmine eadem verba in eadem versus sede leguntur, veluti v. 8 *οὐδ' ἕνα χῶρον* in sede ultima, cf. VI 1 *εἰς ἕνα χῶρον*, v. 21 *χλωρή* in sede prima, cf. XI 13, v. 24 *δέδμηνθ'* in sede prima, cf. XV 120. v. 135 vocabulum *δρυμοῖο* ante caesuram legitur ut I 72. v. 138 rarissima forma *προφέρεσκε* in eadem sede legitur qua XXII 183, v. 145 *τοῦ μὲν ἄναξ* in sede prima, cf. XXII 102 *τὸν μὲν ἄναξ*, v. 172 *ἔφασκεν* in sede ultima, cf. VIII 73, v. 246 *λαγόνος* in eadem sede qua XXII 121, v. 277 *δέρμα λέοντος* in eadem sede qua XXII 52.

Deinde in utroque carmine eaedem similesve locutiones inveniuntur, veluti v. 17 *βόεσσι κεραῇσι* cf. XVI 37 *κεραῇσιν . . . βόεσσι*, v. 85 *Ἠέλιος . . . ποτὶ ζόφον ἔτραπεν ἵππους* cf. II 163 (*Σελάνα*) *. . . ποτ' ὠκεανὸν τρέπε πώλους*, v. 104 *τέκνα φίλαις ὑπὸ μητράσιν ἴει* cf. IIII 4 *ὁ γέρων ὑφίητι τὰ μόσχια*, v. 124 *ἐξ ἔτεος γίνοντο μάλ' εἰς ἔτος* cf. XVIII 15 *κεἰς ἔτος ἐξ ἔτεος*, v. 137 *φόνον λεύσσοντε προσώπῳ* cf. XXII 82 *φόνον ἀλλήλοισι πνέοντες*, v. 148 sq. *ὁ δέ οἱ περὶ νεῦρα ταννσθεὶς μυὼν ἐξ ὑπάτοιο βραχίονος ὀρθὸς ἀνέστη* cf. XXII 48 *ἐν δὲ μύες στερεοῖσι βραχίοσιν ἄκρον ὑπ' ὦμον ἕστασαν*, v. 221 *οὐ μὴν πρὶν πόδας ἴσχον* cf. VII 54 *ἐπ' ὠκεανῷ πόδας ἴσχει*, v. 229 *καὶ βάλον ἆσσον ἰόντος* cf. I 112 *στασῇ Διομήδεος*

ἄσσον ἰοῖσα, v. 234 *λαμυροὺς δὲ χανὼν ὑπ' ὀδόντας ἔφηνε* cf. VI 38 *λευκοτέραν αὐγὰν Παρίας ὑπέφαινε λίθοιο*, XXIV 24 *ἀναιδέας εἶδεν ὀδόντας*, v. 246 *ὑπὸ λαγόνας τε καὶ ἰξύν* cf. XXII 109 *ἐς στῆθός τε καὶ ἰξύν*. adde versum 19 *φαίνεται εὖ μάλα πᾶσι πέρην ποταμοῖο ῥέοντος* similem esse versui 92 carminis XXIIII *ῥιψάτω εὖ μάλα πᾶσαν ὑπὲρ ποταμοῖο φέρουσα*.

Denique eodem modo verbum aliquod repetitum invenies et in hoc carmine et in eis quae quin Theocriti sint dubitari non potest, veluti *πᾶς* v. 96 post caesuram hephthemimerem *πᾶν δ' ἄρ' ἐνεπλήσθη πεδίον* || *πᾶσαι δὲ κέλευθοι* et I 83 *πάσας ἀνὰ κράνας* || *πάντ' ἄλσεα ποσσὶ φορεῖται* (post caesuram penthemimerem), *αἰεί* v. 123 post caesuram bucolicam *αἰεὶ δὲ πλέονες κεραοὶ βόες*, | *αἰὲν ἀμείνους* et XVI 1 *αἰεὶ τοῦτο Διὸς κούραις μέλλει*, | *αἰὲν ἀοιδοῖς*. simul eadem verba eadem ratione collocata habes v. 125 *ζωοτόκοι τ' ἦσαν περιώσια θηλυτόκοι τε* et XXVI 32 *εὐσεβέων παίδεσσι τὰ λώια, δυσσεβέων δ' οὔ*, v. 277 *αὐτοῖς δέρμα λέοντος ἀνασχίζειν ὀνύχεσσιν* et XXII 52 *ἄκρων δέρμα λέοντος ἀφημμένον ἐκ ποδεώνων*. vides in dictione quoque hoc carmen cum ceteris Theocriteis congruere.

Restat, ut paucis in rem metricam carminis XXV inquiramus. atque hanc quoque rem ad Homeri exemplum tractatam esse ex his exemplis elucebit.[1])

Breves syllabae in consonas cadentes producuntur: in arsi altera: *-ον* v. 69 *ἀμφότερον ὀδμῇ* cf. Od. *β* 41 *ὅς λαὸν ἤγειρα*, Il. *Ν* 558 *σειόμενον ἐλέλικτο*, *-ος* v. 2 *παυσάμενος ἔργοιο*, v. 172 *ὡς κεῖνος ἀγόρευε* cf. Od. *λ* 103, *ν* 343 *χωόμενος, ὅτι*, Il. *Ψ* 603 *χωόμενος, ἐπεί*, *Ω* 736 *χωόμενος, ᾧ δή*, *Ε* 462 *εἰδόμενος Ἀκάμαντι*, *Χ* 22 *σευάμενος ὥσθ'*. — in arsi tertia: *-ος* v. 57 *ἐποψόμενος, ᾗ* cf. Il. *Β* 71 *ἀποπτάμενος, ἐμέ*, *Λ* 547 *ἐντροπαλιζόμενος ὀλίγον*. — in arsi quarta: *-ον* v. 203 *ναῖον ἄτλητα* cf. Il. *Β* 190 *κακὸν ὥς*, *Γ* 103 *λευκόν, ἑτέρην*, *-ος* v. 50 *θεὸς ἐπιδευέα* cf. Od. *δ* 62 *γένος ἀπόλωλε*, v. 303 *Τηλέμαχος ἠνίπαπε* cf. Il. *Θ* 248 *τέκος ἐλάφοιο*. — in arsi ultima: *-ος* v. 201 *ποταμὸς ὥς* cf. Il. *Δ* 482 *αἴγειρος ὥς* *Ν* 531 *αἰγυπιὸς ὥς* Od. *ξ* 309 *ἀθάνατος ὥς*, *τ* 234 = Il. *Ξ* 185 *ἠέλιος ὥς*.

Breves vocales finales producuntur: in arsi altera: *γε* v. 73 *ὅγε λάεσσιν* cf. Od. *λ* 391 *ὅγε λιγέως*, *δέ* v. 12 *χωρὶς δὲ σηκοί* cf. Il. *Ι* 520 *δὲ λίσσεσθαι*, Od. *κ* 201 = *π* 216 *δὲ λιγέως*. — in arsi quarta: *παρά* v. 10 *παρὰ ῥόον* cf. Il. *Π* 151 = Od. *λ* 21 *παρὰ ῥόον*, *ὅθι* v. 211 *ὅθι λίς* cf. Il. *Δ* 516 *ὅθι μεθιέντας*, *ἀπό* v. 235 *ἀπὸ νευρῆς* cf. Il. *Θ* 300 *ἀπὸ νευρῆφιν*. — in arsi quinta: *τε* v. 87 *αὐλία τε σηκούς τε* cf. Il. *Λ* 10 = Od. *γ* 322 *μέγα τε δεινόν τε*. — in arsi ultima: v. 138 *σθένεϊ ᾧ* cf. Il. *Π* 542 *σθένεϊ ᾧ*, *Ω* 36 = *δ* 175 *τέκεϊ ᾧ*, *Ε* 71 *πόσεϊ ᾧ*.

[1]) Cf. Gentherum p. 7.

Hiatus, quem vocant grammatici, ut apud Homerum saepe est admissus; cf. Kunstium de Theocriti versu heroico diss. phil. Vindob. I 1887 p. 97 sqq. sed correptiones, quae dicuntur Atticae, ab Homero summa cum cura vitatae ut in ceteris Theocriti carminibus ita in hoc quoque multo plures inveniuntur; cf. ea quae Kunstius p. 64 de hac re exposuit: 'correptiones enim Atticae magis magisque increbrescunt ac suo iure G. Hermannus vix ullum certius recentioris aetatis esse iudicium adfirmat quam quod e crebro harum correptionum usu depromatur. neque tamen hunc frequentiorem correptionis Atticae usum cum Hermanno barbariem equidem adpellem. nam praeterquam quod ipsa linguae natura procedente tempore non eadem mansit, reputes quaeso inde a Callimacho poetas, qui versu heroico utebantur, numerorum volubilitatem magna cum diligentia adfectasse; atque cum hac re etiam correptionis Atticae frequentiam auctam arte cohaerere vix poterit negari.' inveniuntur autem in carmine XXV hae correptiones (cf. Kunstium p. 75): in primae thesis parte altera: v. 232 *αὐτὰρ ὁ κρᾶτα*; in alterius thesis parte priore: v. 3 *ξεῖνε πρόφρων*, v. 130 *Ἠελίοιο· χρόην*; in parte eiusdem thesis altera: v. 47 *δή τινα πρέσβυ*, v. 60 *μάλα πρός μιν*, v. 144 *ποτὶ πλευρά*, v. 249 *ἐν πυρὶ πρῶτον*. — in priore brevi syllaba pedis tertii: v. 52 *ξεῖνε φραδῇ*, v. 69 *ὀσμῇ τε χροός*, v. 149 *ὑπάτοιο βραχίονος*, v. 156 *καρπαλίμοισι τρίβον*, v. 223 *σήραγγα προδείελος*, v. 270 *ἐξετάνυσσα βραχίονας*; in eiusdem pedis altera brevi syllaba: v. 174 *τόδε τλήμεναι*. — in quartae thesis parte altera: v. 176 *περὶ πλευρά*, v. 180 *ἐγὼ δέ σε φράζομαι*, v. 183 *Ἀπίδα κνώδαλον*, v. 193 *ὅττι με πρῶτον*, v. 237 *ὅθι πνεύμονος*, v. 256 *ἄνδιχα τρηχύν*, v. 258 *ὅγε πρίν*, v. 269 *μηροῖσί τε πλεύρ' ἐφύλασσον*. — in quintae thesis parte priore: v. 137 *λεῦσσόν τε προσώπῳ*, v. 225 *χαροπόν τε πρόσωπον*; in parte eiusdem thesis altera: v. 44 *ἐνθάδε χρειώ*, v. 264 *ἔφλασα προφθάς*. ex hac igitur re nihil redundat ad quaestionem nostram solvendam; id unum videatur fortasse alicui maioris momenti, quod vocabulum *κορύνη* producta vocali *υ* legitur in v. 63, cum brevis *υ* inveniatur apud Homerum (Il. *Θ* 141, 143, coll. Il. *Θ* 9, 138) et in Theocriti c. VII v. 19 et 43. sed hoc nihil habet offensionis, cum haec syllaba longa sit ex consuetudine Atticorum poetarumque recentiorum; cf. Eur. Suppl. 715, Nic. Alex. 409 (cf. Fritzschii adn. ad c. VII 43). deinde Theocritum easdem syllabas modo breves modo longas, prout metrum postulabat, adhibuisse ex his exemplis adparet: VI 19 *πολλάκις, ὦ Πολύφαμε, τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται*, VIII 19 *λευκὸν κηρὸν ἔχοισαν, ἶσον κάτω, ἶσον ἄνωθεν*. denique ex eo, quod Theocritus in permultis vocabulis quamquam ab una eademque stirpe derivatis vocales ante mutam cum liquida positas modo produxit, modo corripuit, in universum quidem sat libere eum hac in re versatum esse intellegitur; cf. quae Kunstius de hac re disputavit pp. 94—96.

Sed iam res in eo est, ut summam ex singulis his quaestionibus faciamus. videmus nullam esse causam, qua prohibeamur carmen ad Theocritum auctorem referre; immo tam multa sunt, quae hanc sententiam comprobare videantur, ut facere non possim, quin carmen XXV Theocriti esse veri simile esse existimem.

His expositis deinceps dicendum est de auctore Megarae. quod carmen cum in nullo codice Moscho adtribuatur, iniuria nunc inter Moschea legi recte dicit Hillerus p. 66. in uno codice M Theocritus tamquam auctor eius nominatur; sed quid huius codicis testimonium valeat, supra vidimus.[1])

Moscho carmen adtribuit primus A. van Metkerke. quem quid moverit, ut hoc faceret, recte intellexit Ahrensius Phil. XXXIII 605. in codice enim, qui littera s insignitur, Megara legitur inter carmen de Europa, cui nomen Moschi praescriptum est, et Nicandri Theriaca. atque cum huic carmini Moscheo praecedat in eodem codice aliud carmen Moschi nomine insignitum, quod inscribitur *Ἔρως δραπέτης*, Metkerke Megaram quoque Moschi opus esse coniecit. sed recte dicit Hillerus ipso codice *s* improbari Metkerkii sententiam, cum duo illa carmina in eo Moschi nomen prae se ferant, Megara non item. accedit quod color et sermo Megarae plane diversi sunt a ceteris Moschi carminibus. qua de re conferas velim inprimis hilare illud de Europa carmen, cui cum Megara id unum commune est, quod in hoc quoque somnium locum habet, dico versus 1—27, quorum nonnulli conferri possunt cum versibus quibusdam Megarae, qua de re edoceberis his locis enumeratis: Eur. v. 1 *Εὐρώπῃ ποτὲ Κύπρις ἐπὶ γλυκὺν ἧκεν ὄνειρον* et v. 23 *ἡδὺ μάλα κνώσσουσαν ἀνεπτοίησαν ὄνειροι*: Meg. v. 91 *πρὸς δ' ἔτι μ' ἐπτοίησε διὰ γλυκὺν αἰνὸς ὄνειρος ὕπνον.* — Eur. v. 16 *ἡ δ' ἀπὸ μὲν στρωτῶν λεχέων θόρε δειμαίνουσα παλλομένη κραδίην*: Meg. v. 92 *δειμαίνω δὲ παλίγκοτον ὄψιν ἰδοῦσα ἐκπάγλως.* — Eur. v. 2 *νυκτὸς ὅτε τρίτατον λάχος ἵσταται, ἐγγύθι δ' ἠώς*: Meg. v. 121 *ἠὼς δὲ παραυτίκα φαινόλις ἦλθε.* — Eur. v. 27 *ἀλλά μοι εἰς ἀγαθὸν μάκαρες κρήνειαν ὄνειρον*: Meg. v. 123 *τὰ δὲ πάντα πρὸς Εὐρυσθῆα τρέποιτο οἴκου ἀφ' ἡμετέροιο . . . μηδ' ἄλλο παρὲκ τελέσειέ τι δαίμων.* neque deinde dictio carminis neque ars metrica quicquam facit ad Moschum auctorem statuendum, cum in utraque re poeta Homerum presse secutus sit. huius imitationis exempla congessit Gentherus p. 8—10, ex quibus ceteris omissis hic ea tantum adferam quae ad rem metricam pertinent. breves igitur vocales finales in arsi positae in Megara non producuntur nisi ante liquidas: in pede altero: v. 3 *σώζετ' ἐπὶ ῥεθέεσσι* cf. Od. *γ* 176 *ὦρτο δ' ἐπὶ λιγύς*, *τ* 483 *τῷ σῷ ἐπὶ μαζῷ*, Il. *Θ* 324 *θῆκε δ' ἐπὶ νευρῇ*, in pede quarto: v. 24 *μάλα λιγύ*

[1]) Cf. p. 71.

cf. Il. *Ι* 303 *μάλα μέγα*, *Γ* 214 *μάλα λιγέως* (in pede tertio), Od. *φ* 56 (in pede altero). hiatus ut apud Homerum saepe admissus est; correptionum Atticarum haec inveniuntur exempla: v. 2 *ἀχέουσα, τὸ πρίν*, v. 12 *ἐγεύσατο φροντίσι*, v. 34 *ὀστέα κρωσσόν*, v. 55 *ἀνέρι θνητῷ*, v. 59 *δακρύοισι*, v. 82 *πυκινώτερα κλαίω*, v. 93 *μοί τι τέκνοις*, v. 120 *ἐμούς, μέχρι δή*, v. 123 *Εὐρυσθῆα τρέποιτο*. quae cum ita sint, plane a vero abhorret Moschum Megaram scripsisse. de Theocrito autem ut auctore cogitare non licet, quod tale carmen eo plane indignum esse patet. quid igitur aliud restat, cum de hac re nihil certi statui possit, quam ut Megaram poetae cuiusdam minus noti opus esse dicamus? Alexandrinae autem aetati eum adsignandum esse et ex nonnullis verbis locutionibusque, quae antea nusquam, postea saepius inveniuntur, et ex argumento ipso elucet. poeta enim veteres de Hercule fabulas omnibus notas non uberius narrare voluit — verebatur enim, ne hoc legentibus taedium adferret — sed animos eorum ita movere conatus est, ut somnium obscurum Alcmenae fingeret, quo quid significaretur coniectura colligendum erat. talibus carminibus, quorum quo quid erat obscurius, eo putabatur elegantius, delectabantur qui tum erant homunciones. quare ne nunc quidem viri docti de re quae eo somno significetur consentiunt. Hillerus enim p. 67 adn. 1, si Alcmena somniet Herculem Eurystheo servientem vatillo fossam fodere, deinde ingenti vexari flamma, Iphiclemque fratri opem laturum exanimum corruere, significari censet fossam, qua Augiae stabula purgata sunt, deinde proelium postea commissum, primo quidem Herculi adversum, in quo Iphicles cecidit; cf. Paus. VIII 14, 9. Wilamowitzius autem in ed. Eur. Herc. II 323 adn. 10 de vi illius somnii dicit poetam eos respexisse lectores, quos hanc imaginem ex fabulis notissimis explicaturos esse sibi persuaserat, sed eos, qui imaginem cum sententia ei subiecta permutantes de fossa, quam Hercules fecerat, quaestionem instituturi essent, certe non respexisse. id tantum imagine illa indicari Herculem, si opus susceptum ad finem perduxerit, non quiete usurum esse sed subito in calamitatem, quam effugere non possit, incursurum. nam quos in terris habeat cognatos vel adfines, hos auxilium ei praebere non posse, quippe quibus non eadem quae ipsi via pateat. atque id ei evenisse notum esse. Sophoclis fabula, quae Trachiniae inscribitur, eandem sententiam explicari. flamma autem, quam Alcmena somnians sibi conspicere videatur, non illam rogi in Oeta monte flammam diserte designari, sed herois interitum. in Iphiclem autem illud, quod somniantes saepissime sentiunt, translatum esse, ut qui somniant etsi quam maxime velint atque summis premantur rerum angustiis, tamen de loco quem obtinent progredi non possint. quam rem iam Homerum Il. X 199 in usum suum convertisse. poetam, qui res ad homines solos rettulerit, ita instituisse somnium illud, ut

revelatione divina indigere non videatur. id certe matri ex suo ipsius corde, quo toto filium amplectatur, licere haurire oraculum de filio, quem in maius in dies periculum incurrere videat: non posse eum nancisci quietem, neque laboribus, quos iam finem habituros esse speret, perfectis eam inventurum esse. haec igitur vir doctissimus. sed quaecumque est eius somnii significatio, hoc mihi certum videtur, poetam id intendisse, ut legentes coniectura adsequi cogerentur, quid hoc somnio significaretur. qua re adducor, ut eam quaestionem absolvam, quam adhuc in medio reliquimus. neque enim pro certo statuimus (cf. p. 77), utrum carmen casu an poetae consilio iusto initio careat. nunc propter ea, quae modo exposui, veri simile mihi videtur, initium quoque carminis de industria ita esse compositum, ut legentes primis versibus cogerentur conicere, quis ad quem loqueretur, aperte autem de ea re sequentibus demum versibus edocerentur. quam coniciendi difficultatem poeta legentibus sensim progrediendo levare studuit, qua de re fusius disputavimus p. 73 sqq.

Quae cum ita sint, quod Theocritus novavit, ut carminibus epicis brevitas illa tum celebrata ita adferretur, ut legentes in medias res inducerentur, eos qui tum erant poetas non fugisse, sed causa iis imitationis fuisse videtur. ac tale imitationis conamen est carmen, de quo modo disputavimus. poetae autem rem non prospere successisse et magnopere differre opus quod condidit a carmine, quod sibi imitandum proposuit, supra diximus. atque haec similitudo, quae inter illa carmina intercedit, ipsa causa mihi fuisse videtur, cur in vetere quodam exemplari Megara iuxta carmen XXV poneretur, praesertim cum argumenta quoque similia viderentur. haec igitur habui, quae de Megara dicerem.

Sed ut iam finem imponam huic quaestioni, paucis complectar, quae mihi ea demonstrasse videor; primum Hilleri de duobus illis carminibus sententiam non tantam, quantam videbatur, habere probabilitatem, deinde carmen XXV Theocriti esse non a veri specie abhorrere, denique Megaram ab incerto quodam poeta aetatis Alexandrinae esse conscriptam.[1])

[1]) Huic disputatiunculae eo tempore, quo amplissimo philosophorum ordini eam optuli, adiunctus erat commentarius perpetuus, quo carmen quod Megara vocatur illustraum erat. hunc nunc recidi eosque locos, qui ad hoc carmen explicandum mihi aliquid conferre videbantur, huic opusculo occasione data intexui.

DE VERSU SOTADEO

SCRIPSIT

FELIX PODHORSKY.

De versu sotadeo disputaturus necesse non esse existimo pluribus exponere me non opus superfluum adgressum esse, cum omnes puto mecum consentiant hanc quaestionem nondum ad eum finem, qui ei quae est nunc artis metricae condicioni conveniat, perductam esse. etenim quamquam inde ab ea aetate, qua Godofredus Hermannus prima eius rei fundamenta iecit, multi homines docti in hac quaestione explicanda versati sunt, restant tamen non pauca, quae utpote incerta ac dubia iterum diligentius tractanda esse videantur. nam ut omittam eos qui in libris, quibus de arte metrica Graecorum in universum egerunt, in quibus inprimis honorificentissime R. Westphal et G. Christ nominandi sunt, neque ii qui eam rem peculiaribus libellis illustraverunt, G. Velke in dissertatione de metrorum polyschematistorum natura atque legibus primariis Gottingae a. MDCCCLXXVII in lucem edita et H. Butzer in libello, qui inest programmati scholae Woehlerianae Francofurti ad Moenum a. MDCCCLXXXVIIII emisso, hanc quaestionem arduam sane ac difficultatis plenam iuste expediverunt. id quod eis quae mox disputaturus sum comprobaturum me esse omnibus confido. quae cum ita sint, uirium mearum periculum facturus ipse ad eam rem adgressus sum. iam si hunc libellum censorum benivolorum aestimationi committo, reputetur velim me utpote tironem summa in sententiis praeferendis modestia usum esse. certe non is sum, qui me in omnibus rebus quae ad hanc quaestionem pertinent verum vidisse putem, sed naviter me elaboravisse in ea explicanda atque haud exiguam operam in eam rem impendisse eos qui haec legerint concessuros esse spero.

Instituturi igitur quaestionem, quamquam in metro tantum perscrutando quaestio nostra versabitur, non incommodum esse putamus pauca praemittere de ipso poesis genere, cui poetae hoc metrum adaptaverunt. etenim ex Bacchi cultu praeter tragoediam et comoediam alia quoque genera poesis orta sunt, quae vulgari populi usu celebrata

sub finem demum aetatis, qua optimi scriptores floruerunt, in litteras recepta sunt. huc igitur referendae sunt hilarodia illa et magodia, quae ab auctoribus Simo et Lyside etiam nomen acceperunt simodiae et lysiodiae dictae. in quibus cum indomita quae Bacchanalium est propria laetitia cerneretur ac lasciva potissimum ioca immixta essent, communi ea *φλυακογραφίας* nomine significabantur. maxima autem inerat in recitatione magodorum petulantia, qui habitu ad eam rem apto occultati prodibant atque carmina sua obscena ad tympanorum cymbalorum tibiarum sonitum, quae Bacchi et Cybelae cultui conveniebant, recitare solebant. paulo magis decente sermone hilarodos usos esse et testimonio Aristoxeni confirmatur eoque quod ea carmina ad citharam cantabantur. itaque factum est, ut hilarodia excoleretur a Rhinthone, qui hilarotragoediae ad tragoediam propius accedentis auctor fuit, sed ita, ut non plane a more phlyacographorum recederet. his autem poesis Bacchiacae generibus utpote simillimum et cum iis arte cohaerens adnumerandum esse id quod dicitur *λόγοι Ἰωνικοί* vel *τὸ κιναιδολογεῖν* viri docti consentiunt Strabonis[1]) et Suidae[2]) testimonia secuti. hoc igitur poesis genus primum ad quandam artis formam revocatum est a Sotade Maronita, quem secuti sunt Alexander Aetolus, Pyres vel Pyrrhus Milesius, Theodorus, Timocharidas, Xenarchus, Alexas. quorum in carminibus idem fuit argumentum atque in eis hilarodorum et magodorum, dico ioca obscena, quae a Graecis *φλύακες* vel *κίναιδοι* appellantur.[3]) non cantabantur autem Sotadis Alexandrique carmina, sed recitabantur, id quod testantur et Strabo et Aristides Quintilianus.[4]) ex altero loco, quem infra habes adscriptum, clarissime elucet Sotadis carminibus neque cantum adfuisse neque gestus, sed ea mente supplere licuisse. haec igitur Sotadis aliorumque carmina ad recitandum magis vel etiam ad legendum tantummodo composita esse patet. poesim ergo cinaedicam cohaerere cum simodiis et lysiodiis ab iisque profectam esse plerique viri docti velut Bernhardy et Westphal[5]) existimaverunt. sed id ex eis quae grammatici nobis tradiderunt non certe concludi posse puto, immo magis adrident ea quae Susemihl hist. litt. Gr. aet. Alex. I 243 sq. docte disputavit. dicit enim cum hilarodia et magodia ionicam quae

---

[1]) Strabo XIIII 648 *ἦρξε δὲ Σωτάδης μὲν πρῶτος τοῦ κιναιδολογεῖν, ἔπειτα Ἀλέξανδρος ὁ Αἰτωλός· ἀλλ' οὗτοι μὲν ἐν ψιλῷ λόγῳ, μέτα μέλους δὲ Λῦσις καὶ ἔτι πρότερος τούτου ὁ Σῖμος.*

[2]) Cf. Suid. s. v. *Σωτάδης* et Athen. XIIII 620 E.

[3]) Cf. Suid. s. v. *Σωτάδης· Σωτάδης ἔγραψε φλύακας ἢ κιναίδους διαλέκτῳ Ἰωνικῇ· καὶ γὰρ Ἰωνικοὶ λόγοι ἐκαλοῦντο οὗτοι.*

[4]) Aristides Quint. p. 32: *ῥυθμὸς δὲ καθ' αὑτὸν μὲν ἐπὶ ψιλῆς ὀρχήσεως· μετὰ μέλους δε ἐν κώλοις· μετὰ δὲ λέξεως μόνης ἐπὶ τῶν ποιημάτων μετὰ πεπλασμένης ὑποκρίσεως, οἷον τῶν Σωτάδους καί τινων τοιούτων.*

[5]) Bernhardy hist. litt. Gr.[3] p. 552 sq., Westphal de re metr.[2] p. 356 sq.

dicitur poesim Sotadis aliorumque poetarum antiquioris aetatis Alexandrinae coniungi. si vero testibus certioribus[1]) fidem habeamus, potius statuendum esse illam eandem fuisse atque cinaedorum artem, qui saltationes quasdam inhonestas carmina popularia ex trivio adrepta cantantes exsequebantur, Sotademque primum ex his spectaculis poesim recitationibus tantum destinatam excitavisse ita, ut cantus gestusque audientibus mente supplenda essent. ac similis est sententia, quam de ea re protulit Christ hist. litt. p. 413 sq. sed vereor, ne Susemihl de hac certiora statuerit quam quae ex illis Strabonis et Athenaei locis elici possint. nam concedendum sane est poesi cinaedicae adnumeranda esse Sotadis eiusque imitatorum carmina eodem iure atque ea quae Simus et Lysis composuerunt, quoniam idem habebant argumentum neque inter se differebant, nisi quod altera recitabantur, altera cantabantur. sed id quaeritur, unde inventum suum hauserit Sotades, unde pendeat. qua in re difficultatem quandam praebent verba Strabonis haud satis clara: *ἦρξε δὲ Σωτάδης μὲν πρῶτος τοῦ κιναιδολογεῖν*. videtur enim hoc loco dici Sotadem omnino primum illius poesis generis auctorem fuisse, quod *κιναιδολογία* vel *λόγοι Ἰωνικοὶ* nuncupatur. sed fortasse locus ita interpretandus est, ut statuamus Sotadem eum fuisse, qui primus carmina cinaedica, quae non cantarentur, sed recitarentur vel legerentur, componeret. nemo enim puto negabit carmina cinaedica aliaque id genus iam ante Sotadem nota fuisse. qua de re conferas Athen. XIIII 620 E: *ὁ δὲ Ἰωνικὸς λόγος τὰ Σωτάδου καὶ τὰ πρὸ τούτου Ἰωνικὰ καλούμενα ποιήματα Ἀλεξάνδρου τε Αἰτωλοῦ καὶ Πύρητος τοῦ Μιλησίου καὶ Ἀλέξου καὶ ἄλλων τοιούτων ποιητῶν προφέρεται· καλεῖται δ' οὗτος καὶ κιναιδολόγος.* itaque verba Strabonis sic intellegenda esse videntur: *ἦρξε δὲ Σωτάδης μὲν πρῶτος τοῦ κιναιδολογεῖν ἐν ψιλῷ λόγῳ.* concedendum sane est Susemihlio Sotadem hoc genus carminum ipsum non invenisse neque primum tractasse; immo eum se adplicasse ad poesim eius generis, quae iam extaret, veri simillimum est. verum non existimem ei cinaedorum saltationes exemplo fuisse, quibus ad carmina componenda incitaretur, sed eum secutum esse poesim cinaedicam iam ad quandam artis formam redactam, ut erant hilarodorum et magodorum carmina ad canendi usum aptata. nam hoc modo tantum Sotades eo potuit adduci, ut carmina ad recitandi aut legendi usum composita conscriberet. id enim tulit natura et ratio poesis Graecae, ut poetae a carminibus, quibus cantus et modulatio addita essent, profecti posteriore litterarum Graecarum aetate progrederentur ad poesim, quae soli declamationi et lectioni apta esset, tractandam. Sotadis autem poesim arte cohaerere cum lysiodorum carminibus optime intellegi potest

[1]) Revocat nos ad Plauti milit. glor. v. 668 (III 1, 70); cf. Letronne, Recueil des inscriptions de l'Egypte, Revue de philologie I 126, II 100 sq., O. Iahn, Wandgemälde des Columbariums in der Villa Pamfili (Phil. Abh. der Münchner Akademie VIII 254 sq.).

et ex verbis Strabonis: *οὗτοι μὲν ἐν ψιλῷ λόγῳ, μετὰ μέλους δὲ Λῦσις* et ex ratione, qua Athenaeus eas res tractavit. is enim magodiae, quae vocatur adiunxit *λόγον Ἰωνικὸν* atque his generibus opposuit hilarodiam. sed haudquaquam negandum est quae vocantur Ionica poemata (*Ἰωνικὰ ποιήματα* vel *Ἰωνικὰ ᾄσματα*)[1]) antecedere ei carminum generi, cui proprium nomen fuerit *κιναιδολόγοι*; cf. quae supra ex Athenaeo proposuimus: *τὰ πρὸ τούτου Ἰωνικὰ καλούμενα ποιήματα.* atque in hoc poesis genere Sotadem secuti et imitati sunt Alexander Aetolus, Timo sillographus, Pyres,[2]) deinde Alexas,[3]) Timocharidas, Xenarchus, quorum trium poetarum nihil nisi nomen superest. plura de Sotadis vita comperta habemus, quae Straboni Athenaeo Suidae debentur. neque deerant ex quibus eius rei notitiam peterent grammatici fontes. refert enim Athenaeus XIIII 620 F de Sotade scripsisse et Carystium Pergamenum *ἐν τῷ περὶ αὐτοῦ* (*Σωτάδου*) *συγγράμματι* et Apollonium, ipsius Sotadis filium, qui librum confecit, cui inscripsit *περὶ τῶν τοῦ πατρὸς ποιημάτων σύγγραμμα.* Sotades igitur Maronita[4]) permultum vitae tempus in regum principumque aulis transegit, ad otium recitationibus et confabulationibus terendum semper paratus. verum ne fautoribus quidem suis pepercit, quippe quos in carminibus, si in aliorum aulas pedem contulisset, acerbe cavillaretur.[5]) veluti carmen probrosum fecit in Belestichen, meretricem illam Philadelphi (cf. Ptol. Physc. fr. 4 apud Athen. XIII 576 F et praeterea Athen. XIII 596 E). adde quod versu crebro citato: *εἰς οὐχ ὁσίην τρυμαλιὴν τὸ κέντρον ὠθεῖς*, quo impium eius regis cum sorore conubium cavillatus est, regis iram ita in se concitavit, ut ille eum correptum in vincula coniecerit.[6]) unde Sotades postea effugit, sed Cauni a Patroclo, classis regiae praefecto, deprehensus in cista plumbea inclusus in mare demersus esse dicitur.[7])

Sotadis carminum titulos aliquot nobis tradiderunt Suidas et He-

---

[1]) Cf. Athen. VII 293 A *Σωτάδης δ' οὐχ ὁ τῶν Ἰωνικῶν ᾀσμάτων ποιητὴς ὁ Μαρωνίτης, ἀλλ' ὁ τῆς μέσης κωμῳδίας.*

[2]) Cf. Athen. XIIII 620 E, Strabo XIIII 648 et Meinekii Anal. Alex. p. 244 sq.

[3]) Quod Alexae nomen adtinet, Susemihl p. 246 adn. 22 dubitat utrum re vera fuerit poeta cinaedicus, qui Alexus vel Alexius nominabatur, an potius *καὶ Ἀλέξου*, quod legitur apud Athenaeum post *Ἀλέξανδρος*, e dittographia natum sit, praesertim cum Suidas eius poetae mentionem non fecerit.

[4]) Bene discernendus est hic a poeta eiusdem nominis, comoediarum scriptore, qui scripsit comoedias, quae inscribuntur *Ἐγκλειόμεναι* et *Παραλυτρούμενος*; cf. Kockii Fragm. com. Graec. II 447.

[5]) Pergit Athenaeus l. c.: *ἐξ οὗ* (e libro Apollonii) *ἔστι κατιδεῖν τὴν ἄκαιρον παρρησίαν τοῦ Σωτάδου, κακῶς μὲν εἰπόντος Λυσίμαχον τὸν βασιλέα ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, Πτολεμαῖον δὲ τὸν Φιλάδελφον παρὰ Λυσιμάχῳ καὶ ἄλλους τῶν βασιλέων ἐν ἄλλαις τῶν πόλεων.*

[6]) Cf. Plut. de liberis educ. 11 A.

[7]) Cf. Hegesandri fragm. XII apud Athen. VIII 334 A B.

phaestio.[1]) sed valde dolendum est perpaucos tantum versus Sotadis ipsius nobis servatos esse. nam quos Stobaeus adfert versus, Meineke Anal. Alex. p. 246 sq. spurios esse demonstrare studuit, cui omnes viri docti recentiores assensi sunt. sed ad hanc quaestionem postea revertemur.

Nunc vero restat, ut quaeramus qua ratione ducti scriptores metrici hunc versum ionicum sotadeum nuncupaverint. quas rationes metrici in versuum nominibus constituendis secuti sint Servius in libello de centum metris scripto edocet. dicit enim in praefatione ultima metra vel a pedibus nomen accipere vel a rebus quae describantur vel ab inventoribus vel a frequentatoribus vel a numero syllabarum.[2]) quaeritur iam, utrum Sotades metri inventor an frequentator tantum fuerit. qua de re Susemihl et Westphal ita disputaverunt, ut Sotadem hoc metrum invenisse negarent eumque metrum, quod in magodorum cantilenis popularibus, ut Westphal vult, aut in cinaedorum carminibus obscenis usurpatum erat, ut Susemihl coniecit, in usum suum convertisse. quae coniecturae infirmo niti fundamento videntur, cum certis veterum scriptorum testimoniis non stabiliantur. unde enim quaeso Westphal compertum habet tetrametrum ionicum metrum magodiae fuisse, unde Susemihl idem metrum carminum cinaedicorum proprium fuisse? nihil enim certi de hac re proferre possumus, sed suspicari tantum licet carmina ionica, quae ante Sotadem in populi ore viguerint, item metro ionico scripta fuisse.[3]) at forte dicas: qui tandem factum est, ut a Sotade nomen

[1]) Suidas l. c. *εἰσὶ δ' αὐτοῦ εἴδη πλεῖστα, οἷον εἰς Ἅιδου κατάβασις, Πρίηπος, εἰς Βελεστίχην, Ἀμαζὼν καὶ ἕτερα.* Hephaestio autem p. 8, 20 enchir. duos commemorut titulos: *Ἄδωνις* et *Ἰλιάς.*

[2]) Cf. Leichsenringii dissertationem 'De metris Graecis quaestiones onomatologae', quae Gryphiswaldiae a. 1888 prodiit.

[3]) Verum vidisse Westphalium puto, cum contenderet hoc poesis Bacchiacae genus a dialecto ionica, qua carmina illa conscripta essent, nomen traxisse *Ἰωνικοὶ λόγοι* vel *Ἰωνικὰ ᾄσματα* ac postea demum id nomen primum sermoni adtributum ad metrum transiisse, quo omnes poetae, qui hoc genus colerent, uterentur. pedes ionicos primo bacchios nominatos esse velut choriambos docuit Westphal de re metr.[2] 621 sq. quae cum ita sint, improbo Christii sententiam, qui ut multi alii contendit metrum ionicum nominatum esse propter mollitiem, quae omnino genti Ionicae propria esset. qua in re nisus est Aristidis testimonio de musica p. 39 M: *Ἰωνικὸς δὲ ἐκλήθη διὰ τὸ τοῦ ῥυθμοῦ φορτικόν, ἐφ' ᾧ καὶ οἱ Ἴωνες ἐκωμῳδήθησαν,* schol. Heph. p. 190: *χαῦνά εἰσι τὰ Ἰωνικά, τὰ δὲ τροχαϊκὰ σύντονα,* fragm. Ambros. *περὶ τῆς τῶν ποδῶν ὀνομασίας,* p. 262, 3 ed. Nauck: *οἱ δὲ Ἰωνικοὶ ἐκλήθησαν ἀπὸ τῶν Ἰώνων τῶν τρυφηλῶν, ἐπειδὴ κατὰ μίμησιν ἐκείνων μαλθακόν τε καὶ ἀναβεβλημένον καὶ χαῦνον ποιοῦσι τὸν ῥυθμόν,* Mar. Victor. VI 90, 18 K: *ionicum metrum quidam a genere hominum vocabulum accepisse existimarunt, quod in rhythmo et satis prolixum et satis molle, sicut eiusdem gentis homines adseverantur,* Varronis sat. Menipp. p. 181 R: *Ἀχιλλέως ἡρωϊκος ἰωνικὸς κιναίδου;* cf. Hermog. *περὶ ἰδεῶν* p. 294, Plaut. Pseud. 1274, Hor. C. III 6, 21, Quint. VIIII 4, 78. sed in hac explicatione non omnes veteres metricos scriptores adquievisse Mar. Victor.

caperet hic versus, si iam in poetarum superiorum carminibus cinaedicis tetrametri ionici a maiore tam frequens fuit usus? sed de tali usu nihil plane nobis traditum est, neque omnino extant tetrametri ionici ante Sotadem apud Graecos. quod non casui tribuendum esse puto, ut Wilamowitz voluit.[1]) nam etsi certum iudicium de hac re facere non licet, cum tam paucae reliquiae nobis servatae sint, tamen memorabile est tetrametros ionicos catalecticos prorsus non inveniri ante Sotadem itaque veri simillimum Sotadem hunc versum primum in poesim induxisse atque hoc genere potissimum usum ad artem quandam in eo tractando pervenisse. quo factum est, ut eiusmodi tetrametri sotadeorum nomen acceperint, quo discernerentur a tetrametris acatalectis; cf. Heph. enchir. p. 36, 18 W. *τῶν δὲ τετραμέτρων ἐπισημότατόν ἐστι τὸ βραχυκατάληκτον, τὸ καλούμενον Σωτάδειον*, Trichas p. 293, 2 W. *τοῦτο δὲ Σωτάδειον ὀνομάζεται καὶ ἐπίσημόν ἐστιν, ἅτε δὴ τοῦ ποιητοῦ Σωτάδου πολλῷ αὐτῷ χρησαμένου.* unde elucere videtur hoc metrum antea a poetis neglectum[2]) esse et Sotadem demum in carminibus faciendis id frequentasse. sed postea etiam hoc versuum genus rarissimum fuit apud poetas Graecos. certe mirum est Alexandri Aetoli aliorumque, qui Sotadem imitati sunt, operum cinaedicorum nullas extare reliquias. quamobrem pro certo non habemus hos poetas, etsi Sotadis poesim imitati sint, etiam metrum ab illo usurpatum adhibuisse, praesertim cum haud ignoremus Cleomachum, qui item fuit poeta cinaedicus, in carminibus suis aliud metrum idque novum introduxisse. verum utut est, certe Sotades auctor fuit usus huius metri in poesi, quod praeter eum usurpaverunt Moschio in epigrammate acrosticho[3]) et Lucianus in tragodopodagr. vv. 113—124. his adnumerandi sunt singuli versus a grammaticis metricisque scriptoribus citati.

docere videtur eis ipsis verbis, quae modo proposuimus: *quidam — existimaverunt.* neque ex Hephaestionis scholio talis explicatio elici potest, cum scholiasta simpliciter dicat metrum ionicum languidum esse comparatum cum trochaico. Iones autem inprimis hoc metrum adamaverant, quod maxime conveniens id erat naturae gentis Ionicae. et carmina ad hoc metrum conformata conscripta erant sermone Ionico, unde metrum quoque nomen traxit ionici. hoc igitur multo veri similius est metrum nomen cepisse a sermone et hominum, apud quos in usu erat, genere quam a quadam Ionum proprietate, mollitia eorum; cf. Choer. exeg. 61, 19 H *ὅτι Ἴωνες αὐτῷ ἐκέχρηντο.*

[1]) Cf. Philol. Unters. VIIII 127.

[2]) Nam prorsus negare nolim tetrametros ionicos a maiore catalecticos ante Sotadem omnino fuisse. ex eo enim, quod ante illam aetatem nobis non innotuerunt, certe id concludi nequit. sed poetas eorum usum non adamasse probabile est, si meminerimus tetrametros catalecticos ante Sotadem conscriptos nobis servatos non esse.

[3]) Cf. librum Puchsteinii, Epigrammata Graeca in Aegypto reperta, Argentorati a. 1880 editum p. 9.

Caput I.

Priusquam in metrum sotadeum accuratius inquiramus singulasque eius leges consideremus, primum in universum disputemus de versu sotadeo eumque describamus grammaticorum metricorumque scriptorum testimoniis respectis. proximum igitur est, ut ea, quantum pertinent ad nostram de versibus sotadeis quaestionem, paucis verbis referamus et componamus. deinde veterum de ea re doctrinam accuratius examinabimus.

Ac primum quidem apud omnes fere metricos eadem versus sotadei describendi ratio nobis obviam fit. etenim sotadeum vocant tetrametrum ionicum (a maiore) brachycatalectum (in duas syllabas),[1]) qui nomen habeat a Sotade, qui ab iis vulgo pro inventore huius metri habetur.[2]) sed non solum ionicum tetrametrum catal. a metricis ad Sotadis nomen referri videmus, sed etiam alios versus ionicos, velut tetrametrum acatal., cui item sotadei nomen vindicat Mar. Plotius Sacerdos.[3]) Servius in centimetro nomen sotadei praeter tetrametrum ionicum catal. etiam tribuit versibus trochaicis, velut et trimetro trochaico – ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏒ et tetrametro – ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ | – –.[4]) ionici autem tetrametri sotadei et trochaici schemata in unum incidere tradiderunt Marius Victorinus, Caesius Bassus, auctor fragm. Bobiensis,[5]) itaque trochaicum

[1]) Hephaest. enchir. p. 36, 18 sq.: *τῶν δὲ τετραμέτρων ἐπισημότατόν ἐστι τὸ βραχυκατάληκτον, τὸ καλούμενον Σωτάδειον*, Trichas de metr. p. 292, 26: *τετράμετρα δὲ βραχυκατάληκτον μέν, οἷον τὸ 'χὼς παῖς πόκα πότνα σὸς ἐφ' ἅμμιν τετρατουργεῖς'. τοῦτο δὲ Σωτάδειον ὀνομάζεται καὶ ἐπίσημόν ἐστιν, ἅτε δὴ τοῦ ποιητοῦ Σωτάδου πολλῷ αὐτῷ χρησαμένου*. cf. praeterea schol. Heph. 105, 13 A (apud Westphal.), schol. A p. 125, 12, W., anonymi Ambr. de re metr. 228, 13 (Studemund), Mar. Vict. 91, 22: *ionicus autem sotadeus constat ex spondeo et pariambo alterna vice sine intermissione currentibus, ea tamen lege, ut a spondeo incipiat et spondeo terminetur, sicut ionicum decet, ut in longas desinat syllabas.*

[2]) Mar. Vict. 50, 33: *metrorum genera alia a dis appellata ut dithyrambicon, priapicon, alia ab inventoribus, ut archilochium, sotadium;* cf. Atil. Fort. VI 283, 8 K: *vel ab inventoribus, ut phalaecia vel sotadica.*

[3]) Mar. Plot. Sac. 541, 20: *de tetrametro acatalecto sotadeo. ionicum maius tetrametrum acatalectum sotadeum fit modis tribus: tribus ionicis maioribus et ditrochaeo . . . aut tribus ionicis maioribus et dispondeo* . . . 542, 2 *hoc ideo sotadeum dictum metrum, quod Sotades poeta eo usus est.*

[4]) Serv. IIII 459, 31 K in capite de trochaicis ita disserit de sotadico: *sotadicum constat tetrametro brachycatalecto, ut est hoc 'Thracium nefas renarrat cantitans hirundo'*, deinde 459, 27: *sotadicum constat trimetro acatalecto: 'arva sicca Nilus intrat, ite laeti'.*

[5]) Mar. Vict. 84, 21: *tetrametrum brachycatalectum trochaicum, si de solis trochaeis subsistat, ad ionica metra, quae ἀπὸ μείζονος appellantur, transitum faciet,*

tetrametrum transitum facere ad versum sotadeum, si is ex solis trochaeis constet, statuunt; in tribus enim metris ditrochaeos admitti eorumque solutiones.

Sunt, qui differentiam intercedere doceant inter sotadeum et sotadicum versum, quorum illum ex duobus ionicis a maiore et ithyphallico compositum esse: – – ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ ‖ – ⏑ – ⏑ – ⏓, hic autem e tribus ionicis a maiore et spondeo ultimo: – – ⏑ ⏑ | – – ⏑ ⏑ | – – ⏑ ⏑ | – –.[1]) denique mira quaedam nuncupandi ratio occurrit apud Plotium, qui sotadeum, in quo omnes pedes ionici in molossos contracti sint, – – – | – – – | – – – | – – versum molossicum nominari tradit.[2])

Quod ad pedum solutiones variationesque in hoc versu adtinet, metrici ditrochaei eiusque solutionum usum inprimis commemorant.[3]) deinde has

---

quae sotadia dicuntur, ut est: 'arma qui capit subinde Martiumque tergum'. per omnia enim loca sotadium metrum trochaeos admittit et solutiones eius; cf. fragm. Bob. VI 622, 1 (K): *tetrametrum brachycatalectum, quod, si de solis trochaeis constet, fit commune metro ionico a maiore, ut 'arma ... tergum'; per omnia enim ...*, cf. Caes. Bass. 255, 2.

[1]) Mar. Vict. 128, 12: *ionicus quoque sotadeus sive sotadicus; nam quidam volunt esse inter eos hanc differentiam, ut sotadeus constet duobus ionicis et ithyphallico id est tribus trochaeis ut: 'pronus cupit ingentibus ire cum procellis', at sotadicus tribus ionicis pedibus adaeque ἀπὸ μείζονος et ultimo spondeo, ut est 'Galli timidi semianimes tergora vertunt'.*

[2]) Mar. Plot. 540, 6: *interdum et molossos omnes habet. unde et molossicum metrum hoc dicitur; nam prima longa molossi soluta facit ionicum minorem, novissima maiorem: 'Maecenam Romani fecerunt summum'.*

[3]) Heph. 36, 19: *τοῦτο δὲ κατὰ τὰς ⟨πρώτας⟩ τρεῖς χώρας δέχεται ἰωνικὴν συζυγίαν ἢ τροχαϊκήν*; cf. schol. Heph. A 189, 25 *ἰστέον δ' ὅτι ⟨τὰ⟩ ἰωνικὰ εἴωθε δέχεσθαι καὶ τροχαϊκὰς ὅτε ἐστὶ κατὰ συμπάθειαν ⟨ἐπίμικτα⟩, ὡς τὰ χοριαμβικὰ καὶ ἀντισπαστικὰ τὰ ἰαμβικά. ἔστι δ' ὅτε καὶ ἐξ ὅλων τροχαϊκῶν σύγκειται, ὡς ἐπὶ τοῦδε· 'σαρκικὸν γὰρ εἶχε χρῶτα καὶ τὸ δέρμ' ὅμοιον'.* cf. Choer. 55, 24: *'σείων μελίην Πηλιάδα δεξιὸν κατ' ὦμον' εἰς ἰθυφαλλικὸν δέ ἐστι τὸ μέτρον, ὅπερ τοιοῦτον ἔχει τρόπον· τὸ πρῶτον μέρος αὐτοῦ ἰωνικόν ἐστιν ἀπὸ μείζονος, τὸ δὲ ἔσχατον αὐτοῦ μέρος, ὃ ἐλέγομεν ἰθυφαλλικόν, ἐκ τριῶν τροχαίων μετρεῖται οὕτως κατὰ διποδίαν· 'σείων μελίην | Πηλιάδα δεξιὸν κατ' ὦμον.* cf. Aristid. de mus. 32 *τροχαϊκὴν δὲ δέχεται διποδίαν, κατὰ μὲν τὴν περιττὴν χώραν καθαράν*, Draconis Strat. 116: *τὸ ἀπὸ μείζονος Ἰωνικὸν συντίθεται μὲν καὶ καθαρόν, συντίθεται δὲ καὶ πρὸς τὰς τροχαϊκάς.* cf. tractat. Harleian. § 24 *τὸ ἀπὸ μείζονος Ἰωνικὸν συντίθεται μὲν καὶ καθαρόν, συντίθεται δὲ καὶ πρὸς τὰς τροχαϊκὰς ἐπίμικτον*, Caes. Bass. 255, 3 *et quod magis mirum videri potest, totus sotadeus numerus ex trochaeis potest constare pedibus, ut duo habeat ithyphallica metra et unum trochaeum pedem.* isdem fere verbis usus est Mar. Vict. 92, 10 ... *et quod ... ex trochaeis pedibus poterit ordinari, ut duo habeat ithyphallica metra inserto medio trochaeo, qui erit septimus.* adde eundem 84, 21 et fragm. Bob. VI 622, 1, deinde Atil. Fort. 289, 1 *ionicum metrum, quod a maiore dicitur, constat spondeo et pyrrhichio et trochaeo ... et solutione trochaei i. e. tribracho,* Serv. 464, 1 *metra ionica a maiore principaliter constant ionico suo; verum tamen et diiambum et ditrochaeum non recusant solutionemque patienter admittunt.* adde Mar. Vict. 131, 6 *at vero in sotadium versum plerique*

ionici et ditrochaei formas admitti tradunt: ⏑⏑–⏑⏑, –⏑⏑⏑⏑, ⏑⏑⏑–⏑, ⏑⏑⏑⏑⏑⏑;[1]) quam novissimam descripsi formam Hephaestio et Tricha soli adferunt.[2]) molossicae formae in versu sotadeo usurpatae mirum est unum Plotium mentionem facere. praeterea metrici in universum dicunt molossum in ionicis a maiore adhibitum esse paribus locis.[3]) solutionibus autem supra adlatis versum sotadeum molliorem magisque lubricum fieri scriptores metrici bene intellexerunt. simulque metrici eam statuerunt legem, ne versus sotadeus in tot solutionibus XXII tempora excederet.[4])

---

pedes, qui eum faciunt molliorem, contra quam ionicorum lex se habet, incidunt. nam idem et dactylum et anapaestum et trochaeum duplicem recipit, qui quamvis interveniant faciantque hunc versum satis mollem et lubricum, tamen non excedit XXII *tempora.*

[1]) Heph. p. 36, 19: *τοῦτο δὲ κατὰ τρεῖς χώρας δέχεται Ἰωνικὴν συζυγίαν ἢ τροχαϊκὴν ἢ τὴν ἐξ ἀναπαίστου καὶ πυρριχίου ἢ τὴν ἐκ τριβράχεος καὶ τροχαίου ἢ τὴν ἐκ μακρᾶς καὶ τεσσάρων βραχειῶν ἢ τὴν ἐκ βραχειῶν ἕξ*; cf. Mar. Vict. 131, 12 *nam pro spondeo etiamsi positus est anapaestus trium syllabarum, tamen temporum totidem est. sic est hic versus 'equitum peditum proelia, tela, pila pugnas'*, 20: *lego praeterea apud quosdam admissum in loco trochaei tribrachyn, utpote mensura temporum parem, ut est hic versus, qui a pede dactylo incipit,* idem 92, 10 *sed et dactylus nonnumquam ea lege in sotadeum metrum cadet, ut est: 'dicite, rogo vos, dicite, quid ita rapitur Attis'* et paulo infra 16: *'Bacche, Bacche, Bacche, Bacche, Bacche, Bacche, Bacche', quibus si interposueris aliquos brachysyllabos, i. e. e tribus brevibus eiusdem rationis et numeri, licet adcrescentibus syllabis, temporum tamen lege servata versus efficietur mollior, dum celerioris soni vibratione decoratur ut est: 'Bacche Bromie, Bacche Bromie, Bacche, Bromie, Bacche'. item 'frena capere, tela quatere, saxa iacere disce' et quia fluit numerus, ut rhythmus accipitur. dehinc quia aptum saltantibus videtur, hyporchema a Graecis dicitur.* cf. Caes. Bass. 255 *quibus si interposueris aliquos brachysyllabos eiusdem scilicet rationis, erit etiam mollior. sic 'Bacche Bromie, Bacche Bromie, Bacche Bromie, Bacche'. nam ithyphallicum saepe recipit hunc tribrachum.* cf. Atil. Fort. 289, 1 *ionicum metrum ... constat spondeo et pyrrhichio et trochaeo et praeterea solutionibus spondei i. e. anapaesto vel dactylo et solutione trochaei i. e. tribracho; indifferenter in locis omnibus, ita tamen ut omnis coniugatio sex tempora habeat.*

[2]) Sed non desunt exempla Latina; cf. Mar. Vict. 131, 1.

[3]) Cf. Heph. p. 38, 9 *ἐμπίπτουσι δὲ καὶ οἱ μολοττοὶ ἐπὶ τῶν περιττῶν χωρῶν ἐν τοῖς ἀπ' ἐλάσσονος ἰωνικοῖς, ὥσπερ ἐν τοῖς ἀπὸ μείζονος ἐπὶ τῶν ἀρτίων.* cf. Aristid. de mus. 32 *πολλάκις δὲ καὶ τὸν μολοσσὸν παραλαμβάνει συνάγων τὰς βραχείας εἰς μακράν.* cf. tract. Harl. § 24 *δέχεται δὲ ἐν ταῖς ἀρτίαις χώραις καὶ μολοττόν, τῶν δύο βραχειῶν τῶν ἐν ταῖς ἀρτίαις χώραις τυγχανουσῶν τοῦ Ἰωνικοῦ συμπτυσσομένων εἰς μίαν μακράν.* mirum videtur quod legimus apud Mar. Vict. 90, 8 *ergo observabimus pedem molossum maiori ionico in fine, minori autem inter initia ponere et cavere ne in medietate collocetur.*

[4]) Cf. Mar. Vict. 131, 10: *tamen non excedit XXII tempora ... tamen temporum totidem est*; cf. Atil. Fort. 289, 5 *ita tamen, ut omnis coniugatio sex tempora habeat,* Mar. Plot. 540, 4 *sed omnibus pedibus temporum sex,* Mar. Vict. 92, 18 *temporum tamen lege servata.*

Non incommodum porro mihi videtur sotadei schematis derivandi rationes, quas metrici quidam protulerunt, enumerare. ac primum complures tetrametri trochaici et ionici schemata communia esse censuerunt.[1]) – ⏑ ⏑ – | – ⏑ – ⏑ ‖ – ⏑ – ⏑ | – ⏓ ^. hunc autem tetrametrum compositum esse ex duobus ditrochaeis et ithyphallico docuerunt:

– ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ ‖ – ⏑ – ⏑ – ⏓.

apud Bassum legimus metrum sotadeum cognationem habere cum galliambo.[2]) idem et Victorinus quintam hendecasyllabi speciem interposito anapaesto inter primum et secundum pedem versum sotadeum efficere adfirmant:

– – – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏓ : – – | ⏑ ⏑ ¦ – | – ⏑ ⏑ ¦ – ⏑ – ⏑ ¦ – ⏑.[3])

quid? quod Victorinus etiam contendit ex dactylico hexametro metrum sotadeum derivari posse.[4])

Sequitur, ut accuratius examinemus ea quae ex metricorum scriptis brevissime rettulimus, quo rectius ea aestimemus. atque ut a Graecis

---

[1]) Cf. Choer. Bass. fragm. Bob. locos p. 116 citatos et Mar. Vict. 84, 21.

[2]) Caes. Bass. 263, 4 *esse autem huic metro* (galliambo) *cognationem cum sotadeo cognoscamus hinc licet, quia facta translatione modica et sotadeus qui fuit transit in galliambum et eodem modo galliambus in sotadeum; ex galliambo in sotadeum sic: 'Phrygium nemus citato cupide pede tetigit' | 'Phrygium cupide pede tetigit nemus citato'*; cf. idem 271, 22.

[3]) Caes. Bass. 261, 13 *quinta divisio est hendecasyllabi hoc exemplo: 'castae Pierides novem sorores'. nam secundum primum spondeum insertus huic hendecasyllabo anapaestus ionicum sotadeum facit sic: 'castae dociles Pierides novem sorores'.* Mar. Vict. 153, 12 *quinta autem hendecasyllabi species admixto anapaesto sotadium facit metrum; nam si ante dactylum, qui post spondeum sollemniter in hoc versu ponitur, anapaestum inseras, sotadium metrum propria modulatione formabis.*

[4]) Mar. Vict. 131, 22 *nam studium est id quoque ostendere, quemadmodum dactylus in sotadicum metrum veniat, ex quo uterque ionicus, ut supra diximus, manat. huius exemplum 'dicite, rogo vos, dicite, quid ita rapitur Attis'. nam primus est dactylus, secundus pariambus, tertius spondeus, quartus pariambus, quintus tribrachys, sextus tribrachys, ultimus spondeus. unde haud immerito et sotadicum metrum ex dactylico hexametro derivari manifesta rerum adprobatione contenderis*; idem 128, 12 *ionicus quoque sotadeus sive sotadicus . . . ex dactylico hexametro profluit. nam spondeo initiali et finali et in medio versu posito constat, qui in heroo summam obtinet metri, utpote qui divisione secundae longae dactyli sit parens. tetrametrus quoque catalecticus similiter originem ab heroo hexametro trahit; nam quod residuum est dactylo versui post divisionem eam, quam hephthemimeren diximus, tamquam 'arma virumque cano Troiae', superest 'qui primus ab oris'; item 'inde toro pater Aeneas', dehinc 'sic orsus ab alto'; id si geminaveris et pariambum medium inserueris versui, ionicum ἀπὸ μείζονος tetrametrum brachycatalectum figurabis, ut puta sit medius pariambus 'ego'. ergo geminata cola heroi versus metrum ex se tale procreabant, ut 'qui primus ab oris, ego qui primus ab oris'. item sit medium 'puto', fiet versus 'dum conderet urbem puto dum conderet urbem'. ergo pariambus in media sede duorum hemistichorum positus duo cola nectit facitque, ut inter se congruant quae sine metro antea dissidebant.*

ordiamur, primum in ea quae apud Hephaestionem in enchiridio et scholiis leguntur inquiramus. Hephaestio igitur tetrametrorum ionicorum sotadeum usitatissimum esse commemorat, qui omnibus locis aut ionicum a maiore aut ditrochaeum habeat aut horum pedum formas solutas, velut: ⏑⏑–⏑⏑, –⏑⏑⏑⏑, ⏑⏑⏑⏑⏑⏑, ⏑⏑⏑–⏑. in scholiis, quae ad Choeroboscum referuntur, diligentius disseritur de ditrochaeis ionicis immixtis; adfirmat enim scholiasta sotadeos esse, qui omnibus locis ditrochaeum habeant; sed tamen aliquam statuit differentiam, quae intercedat inter hos versus trochaicos et sotadeos (tribus ditrochaeis constantes) his verbis (p. 190, 5): *διαιρεῖται δὲ ἀπὸ τοῦ τροχαϊκοῦ τῷ τε ῥυθμῷ καὶ τῇ τομῇ.*[1]) *τὸ γὰρ τροχαϊκὸν εἰς πενθημιμερῆ καὶ ἑφθημιμερῆ τέμνεται, τὸ δὲ Ἰωνικὸν κατὰ ἁπλῶν ποδῶν.* ac paulo infra quaeritur, cur metris ionicis, inprimis sotadeo omnino immixti sint ditrochaei, unde eos apud metricos hoc nomen traxisse: *μέτρα κατὰ συμπάθειαν μικτά.* quam rem scholiasta hoc fere modo explicat: ionici indigent pedibus metricis; constant enim ex spondeo et pyrrhichio (pariambo), metrici autem pedes sunt trochaeus iambus dactylus anapaestus, qui varietate qua instructi sunt temporum metra propria efficiunt. atque hi vocantur metrici et rhythmici pedes. ionica autem metra, quae non hoc modo conformata sunt, illis indigent, cum ionici prolixi et molles sint, trochaici autem consoni. iam ut metris ionicis aliud metri genus immisceatur, ionicos et trochaeos in uno versu coniungi. haec igitur scholiastae est explanatio.

Quae de amplexione, quae Graece *ἐπιπλοκή* nominatur, dicta sunt in scholiis minoris momenti sunt ad naturam versus sotadei explicandam. ex Trichae commentariolo nihil omnino novi de hoc versu comperimus; is enim plura de Sotade ipso quam de versu, qui ab eo nominatus est, verba fecit. neque ea quae in anon. Ambros. de re metr. leguntur quicquam ad accuratiorem huius versus cognitionem conferunt.[2])

Vides in versu describendo metricos et Graecos et Latinos consentire, sed in versus partibus illustrandis Graecos solos formam ⏑⏑⏑⏑⏑⏑, quae senis syllabis brevibus efficiatur, commemorare. ceterum et Graeci et Latini adfirmant unumquemque pedem, quaecumque eius forma sit,

[1]) Westphal scripturam traditam *φωνῇ* recepit, quae quomodo explicari possit, non intellegitur. itaque quod Studemund cod. U secutus in editionem an. Ambr. recepit *τομῇ* praeferam. atque haec scriptura verbis sequentibus firmatur, quae Westphal sine iusta causa tamquam insiticia eiecit.

[2]) 228, 13 (Studemund) *Περὶ Ἰωνικῶν· οἱ δὲ Ἰωνικοὶ ἐκλήθησαν . . . ἑλκεχίτωνες οἱ Ἴωνες. τὰ γοῦν Σωτάδεια τούτῳ τῷ μέτρῳ γέγραπται, οἷον 'τὴν μῆνιν ἄειδε, μοῦσα, τὴν Ἀχιλλέως ἐμοί.' καλεῖται δὲ ὁ μὲν πρῶτος Περσικός, ὁ δὲ δεύτερος ὑποκύκλιος.* patet egregie pro eo quod in codice extat *σώματα* Studemundum restituisse *Σωτάδεια*; cf. Eustath. Il. *Α* p. 10, Hermog. p. 260 W, schol. Hermog. VII p. 984 W, Dion. Hal. de comp. verb. p. 25 (ed. Goelleri).

sena semper tempora continere. quae de sotadeis, qui omnibus locis ditrochaeos habent,[1]) apud metricos Latinos leguntur quin hi a Graecis acceperint dubitari non potest. exposuit de hac re primus inter Latinos Bassus 255, 2, deinde qui ab eo pendet Victorinus; nam quae hic tradidit (92, 10) isdem fere verbis ex illo repetita sunt. uterque sotadeum, qui ex solis ditrochaeis constat, compositum esse statuit ex binis ithyphallicis et uno trochaeo. quodsi Victorinus dicit sotadeum duo habere metra ithyphallica *inserto medio trochaeo, qui erit septimus*, haec verba ita intellegam, ut binis ithyphallicis, qui senos trochaeos efficiunt, uno trochaeo adiuncto iam trochaei septeni numerentur. eadem quae leguntur apud Victorinum 92, 10 brevius iam habes exposita 84, 20. vides igitur eum non id egisse ut quae ex fontibus suis hausisset certo ordine constitueret, sed quae inde deprompsisset temere sine ullo iudicio composuisse. eadem quae Bassus et Victorinus praebent proferuntur in fragm. Bob. 622, 1. ceterum si verba, quae apud Bassum et Victorinum initio posita sunt: *et quod magis mirum videri potest, totus sotadeus numerus ex trochaeis potest constare pedibus* respexeris, intelleges his verbis talem sotadeum tamquam minus usitatum vel certe rariorem significari. iam si contuleris locos Mar. Vict. 84 et fragm. Bob. 622, 1 mecum puto statues tetrametrum trochaicum brachycatalectum a metricis non eundem versum ac sotadeum, sed diversum ab eo habitum esse. quam ad rem confirmandam quaeso inspicias schol. Heph. A p. 157, 12 (*τοῦτο δὲ τὸ τετράμετρον γίνεται καὶ χωλὸν τοῦτο ἰστέον, ὅτι M*) *εἰ παραλήγει ὁ σπονδεῖος τοῖς καταληκτικοῖς, χωλὸν ἀποτελεῖ τὸ μέτρον· ἡ γὰρ πρὸ τῆς καταληγούσης συλλαβῆς χώρα περιττή ἐστιν· ἑβδόμη γάρ* (*οὐκ ἐμπίπτει δὲ ἐν τῷ τροχαϊκῷ κατὰ τὰς ἀνίσους ὁ σπονδεῖος· εἰ γὰρ ἐμπεσεῖ, χωλὸν γίνεται τὸ μέτρον M*). quocum loco conferas Diom. VI 508, 1 K. *de tetrametro colobo. si dicam 'Socrates trahuntque siccas machinae carinas', et hic recipit trochaeos et ceteros sui generis pedes et in imo spondeum vel trochaeum*, deinde Plot. 530, 9, qui ut omnino multa ex ipsis Graecis hausit, ita hoc loco scholiastae illius verba interpretatus est.[2]) vides ne uno quidem verbo mentionem fieri metri sotadei, sed nominatur versus tetrametrum trochaicum brachycatalectum colurum vel colobum (Graeci dicunt *χωλόν*), quamquam expectes sotadeum cum eo comparatum iri. eis autem locis, quos supra (p. 115, not. 5) adtuli, plane dicitur *tetrametrum commune fit* vel *transitum faciet*. unde elucet tetrametrum trochaicum brachycatalectum non eundem versum ab initio habitum esse ac sotadeum ex ternis ditrochaeis conformatum. atque certe tetrametrus tro-

[1]) Cf. Heph. ench. 36, 18, schol. p. 190 W.

[2]) *de tetrametro coluro brachycatalecto trochaico. tetrametrum trochaicum colurum brachycatalectum fit hoc modo, cum septem pedes soli trochaici metri ponuntur, cum debeant poni octo: 'hic superbum Tantalum conviram Iovis alti.'*

chaicus colurus per se iam extabat neque sumendum est eum secundum sotadeum demum constructum esse. Servius 459, 31 immerito huic versui nomen sotadei tribuit. certe hoc tetrametri genus iam apud Aristophanem Eq. 616 et 683 invenimus *νῦν γὰρ ἄξιόν γε πᾶσίν ἐστιν ἐπολολύξαι* (– ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ ⏑́⏑ ⏑ – – –). quae cum ita sint, eos tetrametros trochaicos brachycatalectos iure sotadei nomine significari puto, qui diserte ad Sotadem ipsum referantur, quem hoc genus suis versibus simillimum adoptasse ac fortasse secundum hos versus trochaicos suos conformasse a veri specie alienum non est. denique Bassus eo loco, quo de sotadeo ex tribus dipodiis trochaicis constructo egit, versum adfert, in quo alterius longae ditrochaei loco duae breves positae sint eaeque in tribus dipodiis: *Bacche Bromie Bacche Bromie Bacche Bromie Bacche*

(⏑⏑ ⏑ ⏑́⏑ ⏑ ⏑⏑ ⏑ ⏑́⏑ ⏑ ⏑⏑ ⏑ ⏑́⏑ ⏑ – ⏑).

hunc locum plane fere exscripsit Victorinus 92, 17 *quibus si interposueris aliquot brachysyllabos* . . . sed memorabilia sunt ea, quae Victorinus hoc loco adiunxit ex alio fonte deprompta: *i. e. e tribus brevibus eiusdem rationis et numeri licet adcrescentibus syllabis temporum tamen lege servata versus efficietur mollior* . . . ac paulo infra: (24) *et quia fluit numerus, ut rhythmus accipitur. dehinc quia aptum saltantibus videtur, hyporchematicon a Graecis dicitur.* apud Bassum autem accuratius expositum invenimus, quod breviter indicaverunt ceteri, sotadeum omnibus locis ditrochaeum eiusque solutiones admittere. sed is licentiam illam solutionum inde repetivit, quod in versu ithyphallico, ex quo duplicato conformatum esse statuit tetrametrum sotadicum, saepius tribrachus admitteretur. prorsus de hac re tacet Victorinus ac veri simillimum est eum quod addidit de rhythmo et hyporchemate ex alio fonte hausisse.[1])

Nunc videamus quid de ditrochaei usu in versu sotadeo doceant metrici Graeci et Latini. atque Hephaestio et scholiastae hunc versum adnumerant ei generi, quod Graece vocatur *μέτρον μικτὸν κατὰ συμπάθειαν*, propterea quod dipodia trochaica locum habeat in sotadeo, i. e. quod ionicis immixti sint trochaei. huius igitur coniunctionis causam adfert Choeroboscus l. s. c., qui contendit rationem rhythmicam postulasse talem numeri varietatem, ne mollior et prolixior versus fieret. Latini metrici omni accuratiore observatione neglecta simpliciter ditrochaeum in sotadeo admitti dicunt eumque indifferenter in locis omnibus;

[1]) Non abhorret sane a vero sotadeum nonnumquam tamquam hyporchema usurpatum esse, sed tamen non pro certo habemus ex tetrametro trochaico brachycatalecto versum hyporchemati similem confectum esse (– ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑), cum ea quae Victorinus exposuit Graecorum testimoniis non stabiliantur; accedit, quod non invenimus talem sotadeum: – ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ‖ – ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ | – ⏑. hunc versum certe confudit Victorinus cum vero hyporchemate trochaico ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ | ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ | ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ | – ⏑ –, – ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ –; cf. Aristoph. Lys 1279—1294.

cf. Atil. Fort. 289, 2 et Serv. 464, 10 *verum tamen et diiambum et ditrochaeum non recusant solutionemque patienter admittunt.* quod ad diiambi usum adtinet, vix credas Servium de sotadeo hic cogitasse, cum in universum tantum de metris ionicis disseruerit. certe ubi de hoc metro κατ' ἀντιπάθειαν μικτῷ agit Victorinus 128, 12, sotadeum, qui in tertio pede ditrochaeum habet, partitur in dimetrum ionicum a maiore et ithyphallicum: – – ⏑ ⏑ | – – ⏑ ⏑ || – ⏑ – ⏑ – ⏑; confer ea quae apud illum leguntur 154, 4 *versus fiet ionicus ἀπὸ μείζονος ita . . . qui constat ex basi ionica et trochaeis tribus.* eandem igitur partitionem hoc loco invenimus. unde iterum intellegi potest quo modo res in messem suam compilaverit atque omnia, undecumque ea congessit, confuderit. nam ceteris locis aliter statuit de hoc ditrochaei usu. hic in universum dicit metrum ionicum itaque etiam sotadeum bases trochaicas admittere. quae doctrina prorsus est diversa ab ea, qua sotadeus dividitur in dipodiam ionicam et tripodiam trochaicam i. e. ithyphallicum. quae res ut intellegatur, iam mecum hos locos inspicias: 90, 10 *recipit hoc metrum trochaicas bases, i. e. duplicem trochaeum, qui totidem temporum est,* 102, 17 *adaeque et trochaicae bases ionicis pari consensione sociantur, cum epiplocarum, quas amplexiones metrorum diximus, mutua inter se successione variantur,* 129, 6 *sane cadere nonnumquam in hanc speciem et trochaicam basin . . .* quaecumque ergo et Graeci et Latini de usu dipodiae trochaicae in versu sotadeo statuerunt nos docent eos plane abstinuisse omni de hac re diligentiore observatione neque quicquam in doctrina constituenda nisi syllabarum schema respexisse.[1]) unde patet de subtilioribus rationibus rhythmicis cogitandum non esse. atque adfirmat Fortunatianus l. supra cit. singulos pedes eorumque solutiones omnibus versus locis indifferenter admitti. hoc unum autem tenendum esse omnes scriptores tamquam una voce monent, ne singulae coniugationes senorum temporum numerum excedant, ita ut totus versus non plus XXII tempora habeat. conspiciuntur sane quaedam rationis rhythmicae in versibus perlustrandis vestigia in Heph. schol. locis iam citatis (schol. Heph. 157 W.) et apud Victorinum 92, 10. sed diligentiorem in eas res inquisitionem desideramus. certe ne uni quidem ex his scriptoribus in mentem venit, ut doctrinam de anaclasi ad ionicos a maiore atque sotadeum transferret, immo de hac re eo capite exposuerunt, ubi de ionicis a minore agitur. quae res inprimis in scriptores Latinos cadit.

Vidimus quod ad doctrinam de singulis pedibus eorumque solutionibus in sotadeo adhibitis pertinet, Latinos haud multum differre a

---

[1]) Cf. Atil. Fort. l. supra c. *ionicum metrum . . . constat spondeo et pyrrhichio et trochaeo et praeterea solutionibus spondei, i. e. anapaesto vel dactylo;* adde Mar. Vict. 92, 10. his locis prorsus schematis tantum ratio habetur.

Graecis. copiosius quidem de eis disputavit Victorinus, sed ea quae compilavit ex variis fontibus, in primis ex Basso et Fortunatiano, exhibet temere consociata ita, ut et certo consilio et acriore iudicio eum destitutum fuisse intellegatur.

Nunc nos convertamus ad eos locos, quibus complura nomina et genera versus sotadei proferuntur. cuius rei in Graecis fontibus nullum potuimus invenire vestigium. hoc igitur proprium est Latinorum. ac primum duae huius versus nominis formae pervulgatae erant: *sotadeus* et *sotadicus*, quae respondent Graecis *Σωτάδειον* et *Σωταδικόν*. quae formae apud Graecos sine certo discrimine usurpatae esse videntur, quamquam multo magis in usu erat forma *Σωτάδειον*. certe ad duo sotadei genera discernenda minime pertinebat haec duplex significatio apud Graecos. eodem modo Latini his duabus formis promiscue utuntur,[1]) sed unus extat locus Victorini (128, 13), quo is exposuit, quod iam supra commemoravimus, sotadei nomine significari eos tetrametros qui contineant tertio loco dipodiam trochaicam, sotadici vero, eos qui omnibus locis ionicum habeant. itaque sotadeus his conformatur numeris: – – ◡ ◡ | – – ◡ ◡ ‖ – ◡ – ◡ | – ⏒, sotadicus contra his: – – ◡ ◡ | – – ◡ ◡ ¦ – – ◡ ◡ | – ⏓. Victorinus l. c. dicit: *nam quidam volunt* ipsumque haud multum tribuere huic distinctioni e verbis *sotadeus sive sotadicus* elucere videtur. adde quod haec verba, quasi nullius momenti essent, in interclusione posuit. quodsi re vera his duabus formis duo diversa genera versus sotadei discernuntur, fortasse differentia in eo posita est, ut sotadei nomine in universum magis significetur is versus, qui ad exemplum Sotadis versuum vel secundum rationem Sotadis compositus sit, sotadici autem nomine is, qui aut a Sotade ipso factus aut saltem Sotadis habitus sit.[2]) unde colligatur eos versus magis Sotadis rationi respondere, qui toti numeris ionicis decurrant simulque concludas hos versus primarios esse sotadeos ac purissimam Sotadis versuum speciem praebere, postea demum versum ita conformatum esse a Sotade ipso, ut dipodiae trochaicae in eum reciperentur.[3]) profecto valde dolendum est nos non certiores fieri unde Victorinus haec hauserit. itaque ignoramus quanti facienda sit ea distinctio, quae tamen nullo pacto contemnenda esse videtur. sed quid dicam de eo, quod Servius cent. 459, 3 non solum tetrametro trochaico et ionico, sed etiam trimetro trochaico

[1]) Locos XV repperi, ubi versus vocatur *sotadeus*, XIII vero locis *sotadicus* legitur. Mar. Vict. 131, 1 scripsit: *ionicum eundem et sotadicum*, paulo post dixit *sotadeum*.

[2]) Constat enim terminatione '-ius' adiectivorum a substantivis derivatorum significari relationem magis universam ad substantivum, a quo adiectivum derivatum est, terminatione vero '-icus' relationem ut ita dicam specialem indicari, certam quandam proprietatem.

[3]) Cf. quae h. l. leguntur: *integri sotadici*.

acatalecto, quem vocat, nomen indidit sotadici (– ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ | – ⏑ – –)? ceterum Servium magno in errore versari, cum trimetrum hunc versum nuncupet, non est quod pluribus exponam. eum enim in duo ithyphallica dividendum esse (– ⏑ – ⏑ – ⏓ ‖ – ⏑ – ⏑ – ⏓) unicuique patet. neque vero quicquam huic versui commune est cum hexapodia trochaica, cuius non extat forma acatalecta, sed tantum catalectica (⏒ ⏑ – ⏑ | ⏒ ⏑ – ⏑ | ⏒ ⏑ –). unde non miraberis Servium hoc metrum cum sotadeo propter similitudinem quandam, quam se invenisse putabat, confudisse. plane simili errore deceptus contendit ille sotadeum modo trochaicum tetrametrum esse, modo ionicum, cum non reputasset dipodias trochaicas pro ionicis in sotadeo poni posse. similis confusio obviam fit apud Plotium 541, 15, ubi agitur de tetrametro ionico maiore brachycatalecto, quem fieri ille adfirmat ionico maiore, ditrochaeo, ionico maiore, spondeo vel trochaeo. hic igitur, si Plotio fidem haberemus, tandem esset verus sotadeus, sed Plotius hoc loco nomen, quo versus significatur, non adiecit. idem v. 20 egit de tetrametro acatalecto sotadeo, quem tribus ionicis a maiore et ditrochaeo (aut dispondeo) fieri dicit (– – ⏑ ⏑ | – – ⏑ ⏑ | – – ⏑ ⏑ | – ⏑ – ⏑) et paulo infra — sed pertinet hoc ad eundem titulum 'de tetrametro acatalecto sotadeo' — ita pergit: *aut solvitur primi ionici prima longa, secundus ionicus maior ponitur integer, tertii ionici maioris secunda longa solvitur, quartus pes trochaeus ponitur, ut faciat tetrametrum brachycatalectum*: '*gracilis puer fulget tuus Hyla sub Arethusa*'. ex his locis adlatis nemo est qui non possit concludere Plotium versum sotadeum non satis cognovisse. nam ita solum explicari potest, cur tetrametrum acatalectum nuncupaverit sotadeum, deinde cur tam singulari forma sotadei (hanc dico ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ | – – ⏑ ⏑ ‖ – ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ | – –) tamquam exemplo usus sit. certe id quod voluit melius adsecutus esset, si formam vulgarem (– – ⏑ ⏑ | – – ⏑ ⏑ ‖ – – ⏑ ⏑ | – ⏑) tamquam exemplum protulisset. sed illam quam modo significavimus proponere maluit, quasi ea omnino primaria atque communis esset huius versus.[1]) eodem modo alia eius satis mira animadversio explicari potest, quae 540, 6 legitur. quo loco primum non satis clarum est, utrum sotadeum etiam molossicum nominari posse dicat an omnino metrum ionicum, quod ex solis molossis constet. sed talis doctrinae nullum alibi invenitur vestigium. deinde sotadei nomen ita adhibitum frustra quaeras apud ceteros Graecos et Latinos. denique molossi rarissimus est usus in versibus sotadeis, id quod infra demonstrabimus. certe etiam l. c. Plotius in colis non intellectis adhibuit mensuram molossicam (– – – | – – – ‖ – – – | – –). de molosso autem adhibendo plane conspirant metricorum

[1]) Profecto Plotio, qui maxime Graecorum metricorum scriptis usus est, certum exemplum ante oculos versatum est, velut *τίνα τῶν παλαιῶν ἱστοριῶν θέλετ' ἐσακοῦσαι* (⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ | – – ⏑ ⏑ ‖ – ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ | – –); cf. Heph. ench. p. 5, 21.

doctrina et usus, cum in sotadeo molossus in altera tantummodo sede (itaque in pari loco) reperiatur.

Iam in eis quae antecedunt tetigimus complures metricorum Latinorum rationes, quibus usi sunt in metro, de quo agitur, derivando. quas iam accuratius examinemus necesse est. atque ex versu sotadeo hendecasyllabum derivatum esse iam supra commemoravimus (cf. Caes. Bass. 261, 16, quem locum excripsit Mar. Vict. 153, 12). maioris autem momenti esse videtur id, quod Bassus 255, 2 cognationem quandam intercedere statuit inter metrum sotadicum et galliambum, ex quo translationibus evadere sotadeum et rursus ex hoc galliambum. composuit igitur tetrametrum ionicum catalecticum a minore cum tetrametro ionico brachycatalecto a maiore. atque his transpositionibus adsecutus est hoc versus sotadici schema:

(1) (3) (2)
⏑ ⏑ – ⏑ | – ⏑ – – | ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ | ⏑ ⏑ –
(1) (2) (3)
: ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ | – ⏑ – ⏑ – –

vel

(1) (3) (2)
– – – | ⏑ ⏑ – – | ⏑ ⏑ – – | ⏑ ⏑ –
(1) (2) (3)
: – – ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ – –

relicto ergo spondeo (vel anapaesto) primo loco inde syllabarum usque ad alteram coniugationem pertinentium loco posuit syllabas, quibus formantur binae novissimae syzygiae. haec Bassi ratio eodem iure ad Varronem referri potest ac derivatio hendecasyllabi supra prolata. quamquam hoc quoque loco potius agitur de derivatione galliambi ex sotadeo quam de contrario. sed dubium est, num Varro, a quo ceteri metrici Latini pendent, inprimis quod ad illas metrorum derivandorum rationes adtinet, quae fiunt translatione, detractione, compositione aliisque modis, sotadeum derivaverit ex galliambo. tradit enim Victorinus (128, 17) sotadeum derivari posse ex versu heroico (hexametro dactylico) idque ita, ut hexametri, qui caesura semiseptenaria utitur, altera pars duplicetur mediusque inseratur pyrrhichius hoc modo:

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ‖ ⏑⏑ – ⏑ ⏑ – – : ⏑⏑ – ⏑ ⏑ – – | ⏑ ⏑ | – – ⏑ ⏑ – –.

habes igitur illam derivandi rationem ex metro principali, quod Varro statuit neque Victorinum ab alio hanc derivandi rationem petiisse probabile est quam a Varrone, de cuius doctrina metrica, quae apud ceteros metricos Latinos, inprimis apud Bassum et Fortunatianum summae fuit auctoritatis, maxime celebrata erat illa metrorum derivandorum ratio a duobus metris principalibus, hexametro dactylico et trimetro iambico, quae quattuor fiebat modis: adiectione detractione concinnatione permutatione.

Restat alter Victorini locus (131, 27), quo itidem de versus sotadei derivatione agitur. sed haec verba multo obscuriora sunt quam ea quae apud ceteros leguntur. atque hoc loco rursus edocemur, quo modo fontibus suis usus sit Victorinus; nam ea verba, quibus eadem dicturus erat ac priore loco (128, 17), intellegi non possunt, cum omni sensu careant. quae cum ita sint, Victorinum hoc loco suo iudicio usum esse suspicer eamque ob causam monstrum illud procreavisse. etenim inde, quod dactylus in ionicis syllabarum schematis inesset hoc modo:

– ◡ ◡ | ◡ ◡ vel – | – ◡ ◡,

conclusit sotadeum derivari posse ab hexametro dactylico, prorsus oblitus eius rationis, quam ipse demonstraverat priore loco, quo presse Varronem secutus erat. quam autem auctoritatem huic Varronis doctrinae de metris derivandis poetae Latini in sotadeis componendis tribuerint, in altera huius opusculi parte explicabimus.

Iam ut breviter complectar, quae de metricorum doctrina supra diximus, repetam omnes metricos versum recte quidem descripsisse, sed leges subtiliores de singulorum pedum formarum usu eos non statuisse. nam de solutionibus ita disputant, quasi promiscue in omnibus versus sedibus adhiberi possint. neque omnino in legibus constituendis aliud quicquam nisi syllabarum schema respexerunt, quod compluribus exemplis illustravimus. arte igitur tenent non licere temporum XXII numerum in versu sotadeo supergredi, quotcumque is solutionibus varietur. quod sotadeum *μέτρον κατὰ συμπάθειαν μικτὸν* vocant, animadvertas velim metricos putavisse syzygias trochaicas et ionicas quadam necessitudine inter se coniunctas esse atque ita harum dipodiarum mixtionem fieri posse. sed haec doctrina e scholis metricorum et grammaticorum profecta nihil omnino confert ad numeri leges cognoscendas atque illustrandas. quae apud Bassum leguntur, deinde apud Fortunatianum et Terentianum, qui toti pendent e Basso, iis maiorem auctoritatem tribuimus quam aliorum metricorum doctrinae, velut Servii Diomedis Plotii atque inprimis Victorini, qui copiosam quidem doctrinae metricae explicationem proposuit, sed multis erroribus turbatam et confusam. Varronis autem doctrinam maxime redolent ea quae ille de sotadei ex hexametro dactylico derivatione tradidit.

Hac igitur re absoluta exponamus qua via ac ratione recentiores viri docti inde a Godofredo Hermanno usque ad Christium et Westphalium in disputationibus de metri sotadei vi ac natura usi sint. ac primum quidem proficiscendum est a Godofredi Hermanni tractatu de ionicis a maiore, inprimis de versibus sotadeis, qui continetur elementis doctrinae metricae p. 444 sqq. in hoc capite congestas habes poesis

sotadeae apud Graecos et Romanos reliquias atque ut erant ea aetate rei criticae factitandae subsidia emendatas. sed ut ea quae Hermannus de versu sotadeo docuit facilius intellegantur, paucis exponendum esse mihi videtur quid ille in universum de metro ionico a maiore statuerit. primum igitur metricos veteres secutus ambos ionicos, si rhythmum spectes, simillimos esse censuit choriambis atque adeo utrumque metrum par esse huic rhythmo, cum utrumque ter binis temporibus constet. qua in re se adplicavit ad metricorum doctrinam de complexione, quam Graeci *ἐπιπλοκὴν* vocant, itaque ionicum a minore in maius, hoc autem in choriambum abire per complexionem voluit. deinde ionicum a maiore ex binis ordinibus compositum esse adfirmavit, arsi nuda et dactylo, Aristidis et Victorini disponendi ratione repudiata; ii enim hunc ordinem: – – ‖ ⏑ ⏑ in ionicis statuerant. quod ad mutationem numeri ionici per ditrochaeos substitutos adtinet, ad hanc mixtionem explicandam ea quae veteres de anaclasi tradiderant, quae ab illis in ionicis a minore constituta est, comprobavit. persuasit igitur sibi placuisse metrum ionicum, ne saepius repetitum molestum fieret, ita temperare, ut ex binis quibus constaret ordinibus unum tempus priori adderetur detractum de posteriore: – | ⏗ ⏑ ⏑ = – ⏑ | ⏑ ⏑ ⏑. qua in re id statim observandum est nos, si veram rhythmicam rationem huius mixtionis desideramus, in hac explicatione adquiescere non posse. tota enim illa de anaclasi doctrina nihil aliud est quam inanis quaedam metricorum fictio, quae nihil confert ad hanc rem ratione rhythmica diiudicandam. porro Hermannus animum advertit ad eam rem, quam a metricis in versu sotadeo explicando prorsus neglectam esse vidimus, dico syllabam ancipitem in fine ionici (– – ⏑ ⏓). qua posita evitari putavit Hermannus, ne numeri ionici abirent in choriambum, si numero continuato coniungerentur, itaque singulos ionicos suo numero absolvendos esse existimavit. quae res ut facilius intellegatur, mecum quaeso ipsius verba inspicias, quae p. 440 leguntur: *atque hoc re vera factum esse* (ut ionicorum alter cum altero non cohaereat) *receptio syllabae ancipitis in fine cuiusque ionici monstrat, quae si uno ordine duo pedes nexi essent, non esset locum habitura, nunc autem finito numero in fine pedis cuiusque legitima est. eodem modo duobus trochaeis ionico substitutis uterque, quoniam neque inter se neque cum sequente ionico per ordinem periodicum cohaerent, ultima est ancipite:* (–́ | –́ ⏑ ⏓ | –́ | –́ ⏑ ⏓ ‖ –́ ⏓ – ⏓ | – ⏓ –́ ⏓). sed hac explicatione Hermannum rem tetigisse nego. etenim syllabae ancipitis observatio nos fortasse iuvabit in discernendo metro ionico et choriambico: (–, – ⏑ ⏑ –, – ⏑ ⏑ –, – ⏑ ⏑ | – – ⏑ ⏓ – – ⏑ ⏓ – – ⏑ ⏓). sed quod syllaba anceps et in ionicis et trochaicis syzygiis invenitur, prorsus alia causa est. rhythmica enim potius quaedam ratio subest. nam syllaba longa (– – ⏑ – vel – ⏑ – ⏓) in fine syzygiarum posita significatur retardatio

in metro ultimo. haec ergo (– – ⏑ –, – ⏑ – –) ut verbo sollemni metricorum utar, sunt metra irrationalia. p. 445 deinde Hermannus iure impugnavit Aristidis opinionem, qui dipodiam trochaicam in paribus locis puram esse docuit. quod commentum sotadeorum reliquiis inspectis statim exploditur. paulo infra exposuit mensurarum varietates, quas pes ionicus a maiore, quae est eius natura, recipit, simulque his verbis prolatis *itaque etsi plurimas harum formarum admissas videmus, tamen aliquod in hac re temperamentum adhibitum est* dilucide indicavit qua in re potissimum versetur quaestio de versibus ionicis polyschematistis atque etiam de versibus sotadeis. plurimum igitur referre in hac quaestione, ut fines 'huius temperamenti', quod poetae in versibus polyschematistis sibi imposuerint, describamus.

Iam p. 444 Hermannus ad versum sotadeum ipsum se convertit. cuius naturam poetarum Graecorum fragmentis adhibitis explanat. deinde pedum descriptionem exhibet, et primum quidem eorum, in quibus purus est numerus ionicus, deinde earum pedum formarum, quae duplici trochaeo recepto nascuntur. his rebus per tabulas illustratis adiunxit adnotationes, in quibus distincte usum singulorum pedum explanavit, ut uno obtutu qui quaque in sede magis minusve usitati pedes essent conspiceretur.

Egregie sine dubio meruit Hermannus eo, quod observavit primus, quae res veteres fugerat, ditrochaeum frequentius in tertia quam in duabus reliquis sedibus inveniri. simul bene intellexit rariores versus esse, qui in omnibus locis trochaeos habeant. tum primus nos edocuit de quibusdam pedum formis, quae utrumque numerum admittunt, dico trochaicum et ionicum (⏑⏑ ⏑́⏑⏑ ⏑ ⏑ ⏑⏑⏑ ⏑́⏑⏑ ⏑ ⏑ | ⏑⏑ ⏑ ⏑́⏑⏑ ⏑ ⏑⏑⏑ ⏑ ⏑́⏑⏑ ⏑). male autem iudicavit vir clarissimus, cum diceret magis consentaneum videri pedis ionici eas quam ditrochaei solutiones esse. quam rem si cum aliqua probabilitate diiudicare volumus, respiciendum est nobis quomodo singula verba in syllabas pedum distributa sint. sed Hermanni sententiae accuratius redarguendae in eis quae secuntur occasio nobis data erit.

Rectissime porro metricorum commentum repudiavit, qui paeonem secundum versibus ionicis a maiore vindicare voluerunt. denique s. X ex pedum usu observato de structura versus sotadei colligit eum ex duabus partibus constare, quarum prior secundo pede ionico finiatur: – – ⏑ ⏑ | – – ⏑ ⏑ ‖ – – ⏑ ⏑ | – –. quod argui molossi usu, qui aptus sit finiendo numero, et frequenti admissione syllabae ancipitis – – ⏑ ⏓. nec fugit Hermannum etiam caesuram esse debere in fine secundi pedis, sed recte negavit mirum esse eam in tam fracto numero minus diligenter observari. non tamen ei concedam dimidiam fere partem versuum caesuram non habere. nam etiamsi non adparet caesura illa legitima in multis versibus, haud recte tamen negare licet caesuram in talibus versibus

extare. immo veri simillimum est eam si non hunc, tamen certe alium locum obtinere, id quod postea nobis demonstrandum erit.

Postremo (s. 11) Hermannus haec constituit versus sotadei schemata:

–́ | –́ ⏑ ⏒ | –́ | –́ ⏑ ⏒ ‖ –́ | – ⏑ ⏒ | –́ ⏒
–́ ⏒ | –́ ⏒ | –́ ⏒ | –́ ⏒ ‖ –́ ⏒ | –́ ⏒ | –́ ⏒.

censuit igitur singulos pedes ionicos suo proprio numero constare. quodsi dicit pleraque exempla non repugnare continuationi per choriambum vel dipodiam iambicam, velut:

–́ | –́ ⏑ ⏑ –́ | –́ ⏑ ⏑ ‖ –́ | –́ ⏑ ⏑ – ⏑
–́ ⏑ | –́ ⏑ – | ⏑ –́ ⏑ ‖ – ⏑ | –́ ⏑ – ⏑,

obicias talem continuationem, si rationem rhythmicam spectes, prorsus non tolerandam esse. quis enim quaeso defenderet talem continuationem, qualis extat in altero schemate –́ ⏑ – | ⏑ –́ ⏑ ‖? huc accedit, quod, si quis talia schemata adsequi velit, longas recipere cogitur singulares, velut: – | – ⏑ ⏑ – | – ⏑ ⏑ | – | – ⏑ ⏑ – ⏑, id quod omni numeri rationi repugnat.

Restat, ut pauca verba faciamus de forma ditrochaei, in qua prior thesis anceps est: – ⏒ – ⏑. talem licentiam prioris syllabae brevis producendae in dipodia trochaica invenimus tantum apud comicos Latinos. quaeras igitur, num poetae Alexandrini in dipodiis liberiori usui indulserint. sed videbis hanc formam – – – ⏑ in compluribus sotadeis a Stobaeo traditis conspici neque removeri posse, nisi quis scripturis traditis vim inferre velit. quamobrem, cum versus, quos Stobaeus tradiderit, liberiore modo compositi sint, de ea forma dubitandum esse nego.

Iam inde a p. 453 Hermannus ad poetarum Latinorum sotadeos transit. in quos tam accurate inquirere quam in Graecos supersedit. veluti Terentiani sotadeos elegantissimos, ex quibus ad hanc quaestionem absolvendam uberrimum fructum capere potuit, prorsus praeteriit. omnino sotadeis nonnullis ex Ennii saturis adlatis ceteros poetas non respexit praeter Plautum. cuius in fabulis metri sotadici indicia inesse censuit. quamquam in Aulul. II 1, 30 sqq., III 2 et Stich. I 1 rem non tam certam esse concessit quam in Amph. I 1, 14—18, quos aperte sotadeos esse contendit, sed uno pede breviores. qua de re hoc loco accuratius agere supersedeo. id quidem nunc certum est Amphitruonis tantum versus in censum venire posse, in quibus tractandis nonnulli viri docti Hermanni vestigia secuti sunt. patet autem Hermannum, ut sotadeos restitueret, magnas in his versibus licentias probare coactum esse, veluti ultimi pedis arsis solutionem (– – ⏑ ⏑ | – – ⏑ ⏑ | – – ⏑ ⏑ | ⏑́⏑ ⏑). quae res in omnibus versibus, qui hodie tamquam sotadei agnoscuntur, plane inaudita est.

Maxime autem differre adfirmat Hermannus Latinorum sotadeum a Graeco eo quod, cum Latini accentus verborum observent, saepe eaedem pedum formae diverso numero utantur, veluti longa quattuor brevibus

vel praemissa vel subiecta, quae formae pro accentus natura modo puri ionici modo trochaeorum solutionem contineant. quae res ut intellegatur, animadvertas velim Hermannum in hac doctrina constituenda ab ea re proficisci, quod apud Graecos hae formae: – ⏑ ⏑ ⏑ ⏑, ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ omnino potius ionicam mensuram admittant (⏑́͜⏑ ⏑ ⏑, ⏑̋͜⏑ ⏑́͜⏑ ⏑ ⏑), qua in re errorem ab eo commissum esse iam demonstravimus. etenim haec duplicis mensurae libertas et apud Graecos et apud Latinos extat pendetque a ratione, qua verba in pedis syllabas divisa sunt, qua in re leges quasdam observabant et Graeci et Latini. itaque verborum accentus non habebatur ratio. atque eodem iure ea reicere possumus quae Hermannus his verbis adiunxit. *ob eandem causam* inquit *pedes usurpari possunt exclusi a Graecis propter ambiguitatem, quam habent, ubi accentus vocabulorum non respicitur, ut qui compositus est ex spondeo et tribracho: – – ⏑ ⏑ ⏑ vel spondeo et anapaesto: – – ⏑ ⏑ –.* quam doctrinam eo tantum consilio excogitavit, ut defenderet illas pedum formas commenticias, alibi prorsus non usitatas.[1])

Quamquam igitur vidimus G. Hermannum maiore cum diligentia sotadeos Graecos tractasse, Latinos autem vix tetigisse, tamen facere non possumus, quin iustas ei laudes tribuamus, quod primus de horum versuum genere antea fere ignoto quaestionem instituerit atque etsi non ubique prospere rem gessit, tamen nonnulla recte intellexit atque ad eam rem expediendam viam munivit.

Hermannum secutus est C. Freese, qui in libro de re metrica Graecorum et Romanorum, qui prodiit Dresdae et Lipsiae a. 1842, de sotadeorum explicatione bene meruit. sed mirum sane est eum in hoc metro perscrutando contrariam iniisse viam a Latinis sotadeis orsum. id autem egit inprimis, ut multas mensurarum varietates, quas in sotadeis inveniri sibi persuaserat Hermannus, tolerandas non esse demonstraret. profectus igitur a Terentiani sotadeis in eis versibus duos priores pedes puros ionicos, tertium saepius ditrochaeum quam ionicum continere docuit. deinde has ionici solutiones: – ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ et ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ adesse, certam autem caesuram non extare animadvertit. atque has leges non solum in Terentiani, sed etiam in ceteris Latinorum sotadeis observari statuit. secundum has igitur leges Graecos quoque sotadeos describere voluit. nam in Graecis versibus in suspicionem vocavit illam ionici formam, cuius ultima brevis anceps est: – – ⏑ ⏒; porro reiecit ditrochaeum priore thesi producta – ⏒ – ⏑, quod hae formae ambae (– – ⏑ ⏒, – ⏒ – ⏑), si analogiae artis metricae Graecorum rationem haberemus, prorsus admitti non possent. quid? quod ne ditrochaeum quidem altera brevi anci-

---

[1]) Ut intellegas, quae sotadei pedum monstra vindicet Plauto, hos quaeso inspicias numeros: – – – –, ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ –, – – ⏑ ⏑ –.

pite: – ⏑ – ⏓ concessit. ita quoque molossum e numero pedum usitatorum removet, quod Graeci palimbacchium, cuius accentum molossus accipere debeat, non usurpaverint. qua de re observes velim molossum in sotadeo non accipere ictum palimbacchii, sed ionici, ex quo syllabis brevibus contractis fluxit haec forma: – – ⏓. quas formas, ut e sotadeis eiceret, omnes versus, inprimis eos quos a Stobaeo traditos habemus, in quibus eae adparent (– – ⏑ ⏓, – ⏓ – ⏑, – ⏑ – ⏓, – – –), corruptos esse atque ad leges metricas constituendas nihil valere pro certo habuit. ad quam rationem, quae minime probanda est, defendendam haec adnotavit: 'eodem modo in maiore Sotadis fragmentorum parte ionici soli et ditrochaei eorumque solutiones conspiciuntur. de ceterorum integritate dubito. quid enim quaeso magis ad verum accedit quam Stobaeum artis metricae vix bene gnarum partim iam corruptis Sotadis libris manu scriptis usum esse, partim, dum ut erat mos veterum memoriter locos adfert, haud raro erravisse, ut taceam Stobaei codices a librariis corruptos esse.' haec igitur Freese, qui quod discrimen intercederet inter sotadeos genuinos et eos, in quibus merito offendit, bene intellexit, sed erravit in eius rei causa explicanda. nimirum Meineke demum agnovit locis ex Sotadis carminibus excerptis postea aliorum poetarum, qui in carminibus componendis non eadem elegantia uterentur, locos adiectos esse.

Ante Freesium, quem propterea priore loco nominavi, quod inprimis Hermannum respexit, E. Munk in libro suo de re metrica Glogavii et Lipsiae 1834 edito p. 173 sq. de hoc metro egit. ac de Plauti sotadeis, quos Hermannus sibi invenisse visus est, eadem quae ille statuit. quibus easdem licentias tribuit, solutionem ultimae arsis – – ⏑ ⏑ | – – ⏑ ⏑ | – – ⏑ ⏑ | ⏑́⏑ ⏑ ⏑̆ talesque formas, veluti: – – – –. praeterea censuit pedis ionici syllabas breves non contrahi nisi in altera sede, porro pro altera ionici brevi interdum longam positam esse maxime in altera sede, raro in ceteris locis, denique in omnibus versus sotadei locis ditrochaeum substitui posse, saepissime in tertia sede, quem solutionem quoque admittere prioris arsis (⏑́⏑ ⏑ ⏑́ ⏑), ac pro eo epitritum etiam quem vocant quartum poni (– – – ⏑). diaeresim post sedem alteram plerumque observari recte sensit neque denique eum fugit primum pedem praecipuum esse solutionum locum.

A. Boeckh in libro de metris Pindaricis p. 154 pauca tantum quae ad hunc versum spectant tetigit. *praeter alios versus*, inquit, *fit inde sotadicus, ... qui est tetrametrus catalecticus in dissyllabum. is omnem admittit mensurae licentiam, in tertia tamen et quarta sede ut plurimum habet puros trochaeos.* memorabile tamen est eum Pindaro sotadeum tribuisse Pyth. VIII ep. 6. is versus sane aliam etiam mensuram admittit neque, si re vera ad sotadeos accedit, ei rei multum tribuendum est; cur enim Pindaro non licuit talia cola confingere?

Priusquam autem ad recentiorum, Christii et Westphalii studia veniamus, paucis mentionem faciamus Apelii, qui primus veterum rhythmicorum disciplina neglecta nostrae aetatis iudicio a musicae rhythmis repetito usus est. secutus est eum C. Lehrs, hunc Henricus Schmidt in volumine IIII libri, qui inscribitur 'Die Kunstformen der griechischen Poesie'. Apel autem non proprie de versibus ionicis atque sotadeis disputavit, sed in capite (s. 583, p. 245), cui inscripsit 'Von dem gemischten Metrum', occasione data versus quosdam adlatos illustravit. sed quo facilius intellegatur, quo modo metrum ionicum derivarit, liceat mihi ipsa eius verba, quae in initio capitis illius posita sunt, adferre: 'mixtum' inquit 'nominamus id metrum, quia eo utrumque genus formae primariae rhythmicae continetur. momenta quae sunt primaria existunt ex periodo in partes aequales divisa, momenta quae sunt alterius ordinis ex primariis in partes inaequales divisis.' quam ad rem illustrandam siglis usus est nunc in arte musica adhibitis ita, ut haec componeret:

♩. ♩. | ♪ ♪ ♪ ♪ ♪ ♪

metrum autem ipsum nihil aliud esse putavit quam id, quod nostri '6/8 Takt' vocant. utroque autem periodi momento primario soluto ex utroque pedem particularem evadere docet: trochaeum, tribrachum vel dactylum (cyclicum),[1]) quod explicavit hac tabula adiecta:

–	–	♩.	♩.
– ⏑	– ⏑	♩ ♪	♩ ♪
⏑ ⏑ ⏑	⏑ ⏑ ⏑	♪ ♪ ♪	♪ ♪ ♪
– ⏑ ⏑	– ⏑ ⏑	♪. ♬ ♪	♪. ♬ ♪

hoc igitur modo adfirmat periodum fieri dipodiam. unum autem momentum si non solvatur, non solutam syllabam non pedem nominari, sed totam periodi formam unum pedem aequare. itaque ex schemate, quod constituit, has formas efficit:

simplices formae ex momentis eiusdem ordinis constantes.	——	——	mixtae formae ex momentis prioris alteriusque ordinis constantes.	– – ⏑
	– ⏑	– ⏒		– ⏑́ ⏑ ⏑
	⏑ ⏑ ⏑	⏑ ⏑ ⏑		– – ⏑ ⏑
	– ⏑ ⏑	– ⏑ ⏑		
	⏑͡⏑́ ⏑	– ⏑ ⏑		
	– ⏑ ⏑́	⏑ ⏑		
	⏑ ⏑ ⏑	– ⏒		
	– ⏑ ⏑	– ⏒		
	– ⏒	– ⏑ ⏑		

simplicium ergo formarum has in versibus sotadeis extare contendit: – –, – ⏑ – ⏒, ⏑͡⏑́ ⏑ – ⏑ ⏑, – ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑, ⏑ ⏑ ⏑ – ⏒, – – ⏑, – – ⏑ ⏑ itaque talia sotadeorum schemata probabilia atque in usu fuisse ei videntur:

[1]) Apel cyclicum hoc nomine significat: 'flüchtiger Dactylus'.

— — | ⏑́ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ | — ⏑ — ⏑ | — —
— — ⏑ ⏑ | — — | ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ | — —
⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ | — ⏑ — | ⏑́ ⏑ ⏑ — ⏑ , — ⏒
⏑́ ⏑ ⏑ ⏑ — | — — ⏑́ | — — ⏑ ⏑ | — —
— — ⏑ ⏑ | — — ⏑ | — ⏑ — ⏑ ⏑ | — —
— — ⏒ | — — ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ | —
— — ⏑ ⏑ | — — ⏑ | — — ⏑ ⏑ | — —

quae cum ita essent, Apel Hermanni in re critica factitanda rationes acerrime impugnavit et singulos versus, quales in libris nobis traditi sunt, integros esse opinatus est. atque hoc modo sotadeorum schemata adsecutus est summa licentia abundantia, qualia veterum metricorum doctrinae omnino repugnant. unde versus sotadei explicationem eius opera nullo pacto adiutam esse primo quisque obtutu intelleget.

Iam ad Westphalii et Christii sententias examinandas transeamus. qua in re commodissimum est primum in universum quaestiones, quae ad rationem rhythmicam ionicorum pertinent, explicare. Westphal igitur sibi persuasit ionicum a maiore quod ad numeri ordinem adtinet plane respondere trochaeo: (— —| ⏑ ⏑ = —| ⏑). in ionicis arsim quaternis temporibus formari, thesim binis (⏔⏔| ⏑ ⏑) atque eam rationem intercedere inter arsim et thesim, quae numeris 4 : 2 indicetur, ut in trocheo eam, quam numeri 2 : 1 significent. ictus autem ita disponendos esse statuit, ut prior arsis ionici accipiat gravissimum ictum (principalem), altera arsis secundarium obtineat, veluti —‴ —″ ⏑́ ⏑. rectissime sane p. 323 de ea re dixit: ʻquodsi qui dicuntur apud Aristidem p. 35 *συμπλέκοντες* ionicum dividunt in pyrrhichium et spondeum, id eatenus recte se habet, quatenus ambo *χρόνοι ποδικοὶ* inter se disiunguntur, dummodo ne ea re quomodo rhythmus ortus sit explicare velis. operae pretium non est errores omnes inde a G. Hermanno in ionicis explicandis commissos refutare, qui partim veterum doctrina neglecta orti sunt, partim ex prava eius interpretatione antiquioribus et recentioribus elementis non distinctis.' quae Westphal hoc loco dixit, inprimis cadunt in eos qui ionicorum a maiore arsim alteram principali ictu instrui volunt, ut is pes ita legatur: —́ —″ ⏑ ⏑. talem accentum princeps postulavit Iulius Caesar in libro, cui inscripsit: ʻGrundzüge der griechischen Rhythmik', cui permulti viri docti adsenserunt; conferas quaeso Buchholtzii opusculum de Varronis metri ionici constituendi ratione (mus. Rhen. XXXIII 509 sqq.), quo loco ille demonstrare studuit ionicum a maiore in arsi altera ictum habere necesse esse. denique Butzer in libello, cuius iam mentionem fecimus, huius accentus patrocinium suscepit. ac permulti ad eam rem id referunt, quod prior arsis saepius solvatur quam altera, quamobrem in permultis versibus, ubi prior longa soluta sit, si arsim priorem ictu instruamus (⏑⏑″ —́ ⏑ ⏑), impeditum procedere numerum. deinde dicunt veteres quaedam metra, velut hendecasyllabum sapphicum,

quorum veras mensuras non agnovissent, falso ad ionicorum mensuram accommodasse in iisque alteri arsi ionici ictum principalem tribuisse. neque fieri potuisse, ut illi hendecasyllabum etiam Alcaicum tamquam ionicum legerent, si ionici a maiore in priore arsi ictum principalem haberent. hoc igitur modo illi ostendere studuerunt ionicum in arsi altera ictum primarium habere. denique fuerunt, qui sententiam illam eo stabilire vellent, quod prior longa ionici anceps esse posset: ⏓–⏑⏑. quapropter hunc accentum postulari adfirmant: ––́⏑⏑.

Sed ut a novissimo quod adtulerunt argumento initium faciamus, animadvertendum est mero errore metricorum factum esse, ut versus inde a syllabis ⏓–⏑⏑ incipientes pro ionicis haberentur, veluti *δέδυκε μὲν ἁ σελάνα* (⏑–⏑⏑–⏑––) vel *πόας τέρεν ἄνθος μαλακὸν ματεῦσαι* (⏓–⏑⏑––⏑⏑–⏑––), quos mensuram choriambicam anacrusi praemissa habere (⏓|–⏑⏑–|⏑––) probabile est. neque quicquam valet argumentum, quod protulerunt ii qui ex eo, quod prior longa saepius solveretur quam altera, elucere censuerunt alteram ictum tenere primarium ––́⏑⏑. nam cur non legatur hoc modo ⏖́–́⏑⏑, si non offendimur tali ictus disponendi ratione: ⏖́– sive –⏖́ (⏖́⏑–⏑)? nonne in versu, quem Buchholtz p. 517 adfert: *τίνα τῶν παλαιῶν ἱστοριῶν θέλετ' ἐσακοῦσαι* commodius aptiusque legitur *τινα τῶν* ⏖́–́⏑⏑ quam *τινα τῶν*? gravissimum certe accentum per se habet hoc loco pronomen interrogativum. eodem modo in v.: *ὑγιαίνειν εὔχου* . . . ⏖́–– rhythmicus ictus et vocabuli accentus aptissime distrahuntur. ergo e solutione crebriore arsis prioris nihil omnino concludi potest de ictu. iam argumentum, quo Butzer quasi gravissimo confidit, reiciamus, dico falsas illas aliorum metrorum mensuras ad ionicorum morem constitutas, unde nonnulli viri docti ictum altera arsi ionici a maiore contineri concluserunt. quis enim quaeso istis hominibus aliquam tribuet auctoritatem, quorum ars ratione rhythmica prorsus neglecta in solis syllabarum schematis describendis versetur? non aliter sane recitare poterant hendecasyllabum Alcaicum quam his ictibus adhibitis: *vidés ut álta stét nive cándidum*

(⏓–́⏑–́––́⏑⏑–́⏑–).

sed si in singulis huius versus pedibus ordinandis mensura ionica usi sunt (⏓–́⏑–́|––́⏑⏑|–⏑–), haud facile credas eos rhythmica quadam ratione ductos esse neque eam mensuram ideo quod ionici a maiore hoc ictu ––́⏑⏑ instructi essent, sed potius propterea tantum elegisse, quod syllabarum schema non obstabat, quominus hendecasyllabus ad ionici exemplum conformaretur. quodsi re vera numerorum rationem habuissent in versibus derivandis et ordinandis neque tantum syllabarum schematum, non debebant profecto ex sotadeo derivare hendecasyllabum: (––|⏑⏑–|–⏑⏑–⏑–⏑–– : –––⏑⏑–⏑–⏑––). nam quo-

modo versus his ictibus instructus: *cármen Píeridés dabúnt soróres* evadere potuit e sotadeo, cuius ionici ictum habent in altera longa: *carmen lepidae Pierides dabunt sorores?* certe in hendecasyllabo *carmen* accentum habet in syllaba priore. atque ita si re vera ictus respiciebatur, hendecasyllabus proficisci debebat e sotadeo his ictibus praedito: *carmen | lepidae Pierides novem sorores.* cur igitur in ea re diiudicanda potius vanis metricorum commentis fidem tribuamus quam rhythmico iudicio ac sensui, optimis sane auctoribus? quos si sequemur, dubitare non poterimus, quin ictus principalis in ionico a maiore tribuendus sit priori longae syllabae aeque atque in ionico a minore, qui ita recitatur: ⏑ ⏑ –̋ –́. nam si in hac ionicorum a minore serie:

⏑ ⏑ –̋ –́ ⏑ ⏑ –̋ –́ ⏑ ⏑ –̋ –́ . . . . .

duas breves tamquam anacrusim resecamus, ionicos a maiore efficimus isdem ictibus remanentibus: ⏑ ⏑ | –̋ –́ ⏑ ⏑ –̋ –́ ⏑ ⏑ –̋ –́. quodsi ictus ionici a maiore hic esset: –́ –̋ ⏑ ⏑, responderet sine dubio hic in ionico a minore: ⏑ ⏑ –́ –̋

⏑ ⏑ | –́ –̋ ⏑ ⏑ –́ –̋ ⏑ ⏑ –́ –̋

sin hac ictuum divisione probata sotadeum ita recitaremus:

–́ –̋ ⏑ ⏑ –́ –̋ ⏑ ⏑ –́ –̋ ⏑ ⏑ –́ –

vel anaclasi accedente: –́ –̋ ⏑ ⏑ | –́ –̋ ⏑ ⏑ ‖ –̋ ⏑ –́ ⏑ | –́ ⏓, nostro iudicio ac sensu rhythmico edoceremur versum omni numero carere. atque haec durities multo minus toleranda esset in iis sotadeis, in quibus anaclasis est, qua numerus subito molestissime frangi videretur, si ictum in altera ionicorum a maiore longa retineremus. huc accedit quod, si constanter numerum servare vellemus, ultimum pedem, quippe qui ionicus catalecticus esset, ictu instruere deberemus item in altera longa (. . . . . | – –́). praeterea quam impeditus quaeso languidusque fieret versus, si talem ictum: – –́ ⏑ ⏑ praeferremus, cum prior longa syllaba quasi anacrusis claudicaret post duas breves syllabas (–, –́ ⏑ ⏑ | –, –́ ⏑ ⏑ ‖ –, –́ ⏑ ⏑ | –́ –). quae difficultas plane tollitur, si sumimus priorem longam ictum principalem tenere, quam altera longa leviore ictu instructa, quod Westphal vult, sequatur.

Caput illud libri de re metrica, quo Westphal de versu sotadeo disputavit (ed. III p. 356—364), maiore ex parte continetur quaestione de natura rhythmica ionici a maiore vel potius versus sotadei. etenim dicit ionicum a maiore numerum mollem ac languidum esse, id quod etiam proprium esse ionico a minore, sed si anacrusis absit, in ionico a maiore videri non inesse hanc contentionem elationemque, qua excellat ionicus a minore. quod vitium compensari frequentibus solutionibus, quibus quaedam mollitia agilitasque rhythmi efficiatur, contra anaclasi ei volu-

bilitatem quandam adiungi ita, ut maiore cum velocitate incedat. recte Westphal monuit hunc numerum aptissimum fuisse lascivis cinaedorum carminibus, quae et mollem numerum flagitarent neque, cum carerent omni elatione, anacrusim, qua numerus quasi commoveretur, respuerent. sotadei quidem hac aetate permultis duri esse atque ad prosam orationem accedere videntur, quippe quibus verus numerus desit. sed hanc sententiam, quae posita est in prava de rationibus rhythmicis sententia, optime refutasse mihi videtur Westphal p. 358 adn. intellexit enim duritatem illam, quam ionicis a maiore exprobrant, non ad anaclasim referendam esse, sed hac potius ionicos a maiore molliores etiam fieri quam ionicos a minore, neque vero solutiones duriorem reddere numerum, sed id efficere, ut commodius et cum grata quadam inertia incedat,[1]) neque epitriti formis numerum turbari, sed potius variari. simul sine causa quosdam in eo offendisse ostendit, quod binae in ionico a maiore arses colliderent. binas enim syllabas longas eadem vi ac natura instructas esse atque in ionico a minore, cum in utroque binae longae unam arsim efficiant velut binae tribrachi breves, binae breves contra thesim. quam analogiam etsi in dubium vocavit Buchholtz, quod tribrachi thesis non responderet binis ionici brevibus, cum eae non iam in tempora dissolvi possent, tamen tenendam eam esse puto, cum nihil nos impediat, quominus talem rationem, qualem Westphal statuit: –́ –|⏕ = ⏑́ ⏑ ⏕, fieri posse existimemus. etenim in ionico a maiore tempora quidem duplicata esse videntur, sed eadem ratio et proportio certe est in tribracho et in ionico a maiore: ⏔́⏔⏔ = ⏑́ ⏑ ⏑. quamobrem Buchholtzii dubitationi nihil tribuendum esse puto. denique Westphal optime reiecit opinionem, qua ionicus a maiore numero carere putabatur. comparat enim puram ionici formam (– – ⏑ ⏑) cum eo metro arti musicae proprio, quod '$\frac{3}{4}$ Takt' vocamus, eaque eius specie, in qua tertia pars metri iterum divisa est in binas, quas 'Achtel' nominamus ♩ ♩ ♫. unde patere ionicum a maiore id metrum esse, quod ad nostrae artis musicae rhythmos proxime accedat. neque vero deesse in nostrae artis musicae numeris, quod anaclasi respondeat.

Rectissime denique Westphal tamquam conclusionem addit ea aetate, qua ars poetica apud Graecos floruit, iam ionicum cum anacrusi coniunctum mollem atque inertem visum atque propterea ionicum a maiore spretum esse. tum demum, cum poesis ex fastigio illo, quod occupaverat, descenderet, id metrum placuisse, cuius e numeris leviusculis tamquam ex speculo temporis illius, quod priscam illam *σεμνότητα*

[1]) Cf. Westphal p. 359 sq. et Demetr. de eloc. 189, anonym. Ambros. in Studemundi Anecd. I 225, 13.

non curabat, indoles resplenderet. certum igitur est optimos poetas superioris aetatis ionicum a maiore vitasse, quod ei anacrusis deesset. quae cum ita essent, mirandum sane esset eos non frequenter adhibuisse ionicum a maiore, si talis in eo fuisset ictus: –́ –̀ ⏑ ⏑, ubi certe syllaba longa arsi principali antecedens tamquam anacrusis locum teneret.

Iam accedamus ad ea, quae Westphal de versu sotadeo disputavit. cuius has formas in usu fuisse dicit: – – ⏑ ⏑ purum ionicum, formarum solutarum has: ⏑́⏑ – ⏑ ⏑, –́ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑, ⏑́⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑, molossum – – –, denique formas, in quibus solutio et contractio coniunctae sunt (⏑́⏑ – –, –́ ⏑ ⏑ –). formam: ⏑́⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ in primo tantum pede, molossum in secundo solo usitatum fuisse, ionici a minore formam (⏑́⏑ – –) in secundo tantum, choriambicam apud Romanos demum inveniri observavit. memorabile deinde est Westphalium novam viam iniisse in his formis: – – ⏑ –, – – – ⏑, – ⏑ – – explicandis. persuasit enim sibi in versu sotadeo pro binis syllabis brevibus ionici substitui posse trochaeum, quam licentiam etiam pertinere adfirmat ad unam longam, sed ita, ut simul thesis contrahatur. trochaeo ergo disemo quem vocat substituto tres formas evadere: *a*) – ⏑ – – (⏑̄|–⏑̄), *b*) – – ⏑ – (–|⏑̄⏑̄), *c*) ⏑̄́ – – ⏑ (– –|⏑̄). hanc autem rationem trochaei substituendi inde intellegi adfirmat, quod ionici a maiore primo compositi sint, qui cantu proferantur. quem usum repetivit a metro paeonio, in quo trochaeum pro una longa vel duabus brevibus ita substitui contendit, ut paeon ditrochaeo in antistropha respondere possit. sed vereor, ne audacius Westphal licentiam fortasse in genere paeonico admissam ad metrum ionicum transtulerit. certe haec substituendi ratio in ionicis ullo veterum confirmari nequit testimonio. adde quod artificiosior esse videtur haec explicatio, cum tanto tandem circumitu usi adsequamur has formas duabus brevibus contractis. nonne quaeso simplicius eas formas possumus explicare? constat enim poetas Graecos liberius ionicos et ditrochaeos tractavisse, ita ut ultimam brevem ionici et ditrochaei ancipitem facerent, qua re aeque ac producta priore brevi ditrochaei (– ⏑̄ – ⏑) retardationem quandam numeri consecuti sunt. haec syllaba anceps in priore trochaeo dipodiae usitata – ⏓ – ⏑ fortasse haud aliter potest intellegi quam si proficiscimur ab ionico a minore, qui item ditrochaeo mixtus est, velut: ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ – – = ⏑ ⏑ –, ⏑̄ –, ⏑ –|–. hoc ergo loco numerus ita retardatus est, ut anapaestum alacrem sequatur primum iambus ancipiti irrationali thesi relicta, deinde purus iambus. atque ita Christ eas formas explicare conatus est. sed is ne ipse quidem huic sententiae tribuisse videtur, cum p. 488 addiderit fortasse syllabam ancipitem cohaerere cum maiore temporis ambitu, qui in priore ambarum longarum est ionici. constat utique hanc formam ditrochaei: – – – ⏑ mediam esse inter ionicum et purum ditrochaeum:

– – ⏑ ⏑ : – – – ⏑ : – ⏑ – ⏑.

defendi sane videtur haec Christii ratio eo quod adeo in priore trochaeo dipodiae longa admittitur (– ⏓ – ⏑). quamquam in numero tam libere composito num omnino opus sit eiusmodi defensione syllabae ancipitis dubitari potest.

Denique Westphal de anaclasi in versibus sotadeis disputavit, non hoc ipso capite, sed in sectione 37, quo de origine numeri ionici egit. contendit enim ex metro trochaico demum ionicum extitisse, cum ithyphallicus praemissa anacrusi dissyllaba usurparetur in carminibus bacchicis (– ⏑ – ⏑ – ⏓ | ⏑ ⏑ –́ ⏑ – ⏑ – –). quo ithyphallico repetito effici numerum ionicum cum anaclasi:

– – | –́ ⏑ – ⏑ | – – ‖ ⏑ ⏑ | –́ ⏑ – ⏑ | – –,
(ἀνακλώμενος) (ἀνακλώμενος)

ionico autem pro ditrochaeo, qui totidem temporum esset, substituto ionicos a minore puros extitisse atque ita anaclasim priorem esse, posteriorem numerum ionicum. equidem non id ago, ut Westphalium impugnem, qui trochaicum numerum aetate antecedere ionicum existimet, sed id reprehendo, quod, cum anaclasis tantum speciem, non rem ipsam respexisset, hac explicatione, quae schema solum spectaret, ad anaclasis naturam artis rhythmicae ope cognoscendam nihil contulit. adde quod, ut ionici maioris originem explicaret, coactus est longa uti substitutione:

⏑ ⏑ | – ⏑ – ⏑ ¦ – – ⏑ ⏑ | – ⏑ – ⏑ | – –.
      | – – ⏑ ⏑ | | – – ⏑ ⏑ |

accedit quod illa de anaclasi doctrina probabilis non est, nisi anaclasis alterna tantum vice in versu invenitur. at promiscue anaclasim in versibus ionicis conspici notum est. non igitur adsentiendum est Westphalio, immo in anaclasi subest haec ratio in numero posita: et in ditrochaeo et in ionico insunt sex tempora: ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑. illa autem numeri permutatio hoc modo fit, ut alio modo disponantur tempora singulorum pedum ambitu ipso non mutato. subest ergo re vera non *μεταβολή*, ut verbo Graeco utar, sed *διαφορὰ κατὰ σχῆμα*, vel ut siglis usitatis quid sentiam indicem, non – ⏗ – ⏑, sed ⏗́ ⏑ ⏗́ : ⏗́ ⏗́ ⏑ ⏑. quam ad rem illustrandam sufficiat proferre analogiam ex arte musica repetitam, qua ea metra, quae $\frac{6}{8}$ et $\frac{3}{4}$ Takt nominamus, temporibus quidem paria sunt, sed temporum divisione inter se differunt.

Ab anaclasis usu profectus Westphal haec septem schemata rhythmica versus sotadei constituit:

1.	– – ⏑ ⏑	– – ⏑ ⏑ ‖	– – ⏑ ⏑	– –
2.	– – ⏑ ⏑	– – ⏑ ⏑ ‖	– ⏑ – ⏑	– –
3.	– ⏑ – ⏑	– – ⏑ ⏑ ‖	– – ⏑ ⏑	– –
4.	– ⏑ – ⏑	– – ⏑ ⏑ ‖	– ⏑ – ⏑	– –
5.	– – ⏑ ⏑	– ⏑ – ⏑ ‖	– – ⏑ ⏑	– –
6.	– – ⏑ ⏑	– ⏑ – ⏑ ‖	– ⏑ – ⏑	– –
7.	– ⏑ – ⏑	– ⏑ – ⏑ ‖	– ⏑ – ⏑	– –

accedere posse dixit octavum: – ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ || – – ⏑ ⏑ | – –, quod non in Sotadis reliquiis, sed apud Moschionem conspicitur. de caesura Westphal ne verbum quidem fecit.

Christ non sane multa nova protulit, nisi quod Sotadem versum ab ipso nominatum finxisse statuit imitatum tetrametrum trochaicum catalecticum in duas syllabas.[1]) tum Luciani sotadeos diligentius compositos esse observavit, cum in iis exclusae sint hae ionici et ditrochaei formae: – – ⏑ ⏒, – ⏒ – ⏑, – ⏑ – ⏒. denique intellexit sotadeum, cum tetrametrus sit, plus quam unum colum complecti necesse esse. caesuram autem propterea saepius neglectam esse censet, quod poetae colum in binis brevioribus terminatum repudiaverint.

Habes virorum doctorum de versu sotadeo sententias breviter expositas, qua in re occasione data quid ipse sentirem hic illic indicavi. iam priusquam poesis sotadeae reliquias tibi proponam, de origine versus sotadei quemne versum Sotades tamquam exemplar imitandum sibi proposuerit, inquirendum mihi esse videtur. ac memorabile sane est ante Sotadem tetrametros ionicos a maiore non inveniri. omnino quin optimorum scriptorum aetate ionici a maiore rarissime adhibiti sint, dubitari non potest. sunt adeo qui prorsus ionicum a maiore tum in usu fuisse negent. verum utut est, sane mirum esset, si veteres hunc versum Sotadi aut inventori aut frequentatori tribuissent, si re vera tetrametrus ionicus ante eum veluti apud lysiodos et simodos in usu fuisset. sed inter versus ex Sotadis carminibus servatos reperiuntur trochaici tetrametri catalectici in duas syllabas, qui si eos quod ad compositionem adtinet cum sotadeis comparamus, his sunt simillimi. constant enim ex quaternis dipodiis, quarum ultima catalectica est

(– ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ || – ⏑ – ⏑ | – – ^).

eiusmodi tetrametrorum nonnulla etiam ante Sotadem extant exempla, velut in Aristoph. Eq. 616—683.[2]) is tetrametrus trochaicus compositus esse videtur ex duabus dimetris, quorum alter est catalecticus in duas syllabas (– ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ + – ⏑ – ⏑ – ⏒ ^). atque eadem ratio est tetrametri ionici a maiore vel sotadei:

(+ – ⏑ – ⏑ – –
– – ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ || – – ⏑ ⏑ – –).

---

[1]) Westphal contra sotadeum maxime respondere voluit ionico tetrametro acatalecto a minore (⏑ ⏑ | – –, ⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ – –).

[2]) Cf. Eur. Phoen. 638 sqq., ubi complures dimetri trochaici concluduntur dimetro trochaico catalectico:

– ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ }
– ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ }
– ⏑ – ⏑ – ⏑]

et analogiam certe haud exiguam intercedere inter trochaicum et tetrametrum ionicum iam inde elucet, quod tetrametrus trochaicus in sotadeorum ipsorum numero habitus est. Westphal autem maxime quoque respondere observavit sotadeum tetrametro ionico acatalecto a minore, a quo eum anacrusi tantum differre (⏑⏑|––⏑⏑––⏑⏑––⏑⏑––). quam similitudinem latius etiam patere voluit, cum eam ad quattuor schemata versus sotadei transferret, quibus quattuor formae tetrametri ionici a minore respondere dicit. id quod hac tabula adiecta illustrabitur:

1. ––⏑⏑––⏕––⏑⏑–– | : ⏑⏑––⏑⏑–– | ⏑⏑––⏑⏑––
2. ––⏑⏑––⏕–⏑–⏑–– | : ⏑⏑––⏑⏑–– | ⏑⏑–⏑–⏑–– [1]
3. –⏑–⏑––⏕––⏑⏑–– | : ⏑⏑–⏑–⏑–– | ⏑⏑––⏑⏑––
4. –⏑–⏑––⏕–⏑–⏑–– | : ⏑⏑–⏑–⏑–– | ⏑⏑–⏑–⏑––

prima igitur forma sotadei hic respondet duobus dimetris ionicis a minore compositis, altera dimetro ionico a minore cum anaclomeno coniuncto, tertia anaclomeno cum dimetro coniuncto, quarta duobus anaclomenis inter se iunctis. sed quamquam concedendum est magnam intercedere similitudinem inter sotadeos et tetrametros illos, non tamen te fugiet hanc analogiam non pertinere ad ceteras formas, quae item in usu erant:

––⏑⏑–⏑–⏑––⏑⏑––|––⏑⏑–⏑–⏑–⏑–⏑––|–⏑–⏑–⏑–⏑–⏑⏑––.

hae igitur explicari non possunt adhibitis illis dimetris et anaclomenis. sed una res fortasse est, in qua Sotadem se adplicasse ad tetrametros ionicos a minore veri simile est: dico anaclasim. nam respondere inter se vides dimetros ionicos et anaclomenos

(⏑⏑––⏑⏑–– = ⏑⏑–⏑–⏑––).

unde certe licentiam illam repetivit, qua etiam pro ionico a maiore ponitur dipodia trochaica:

⏑⏑|––⏑⏑|––
⏑⏑|–⏑–⏑|–– : ––⏑⏑ = –⏑–⏑.

et cum anaclomeni binae syllabae priores contrahi possint (⏕–⏑–⏑––), facile explicatur usus molossi in altero sotadei pede

(––⏑⏑––|⏕–⏑–⏑––).

adhibitus sane est molossus quoque in versibus, qui in tertia sede ionicum habent. sed animadvertas velim in talibus versibus, qui molossum continent, caesuram post alteram longam plerumque inveniri

(––⏑⏑––|–, –⏑–⏑––).

tum memorabile est eorum schematum, quibus quae respondent in tetrametris ionicis a minore non extant (haec dico: ––⏑⏑|–⏑–⏑|––⏑⏑|––‖ ––⏑⏑|–⏑–⏑|–⏑–⏑|––‖–⏑–⏑|–⏑–⏑|––⏑⏑|––) rarissimum usum

[1]) Hi versus nominantur tetrametri ionici a minore fracti 'gebrochene Tetrameter'.

esse. quae cum ita sint, a vero quidem haud abhorret Sotadem in anaclasi adhibenda et transferenda a tetrametris ionicis a minore profectum esse. sed inde non efficitur eum in sotadeis componendis per analogiam omnia ad eorum exemplum constituisse. certe normam sotadei componendi ille petere non potuit a tetrametris ionicis a minore, quippe qui tetrametri acatalecti essent, sed a tetrametro trochaico catalectico in duas syllabas (– ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ ‖ – ⏑ – ⏑ | – –), simillimo sane sotadeo, qui est tetrametrus ionicus catalecticus in duas syllabas. vix enim intellegas, quomodo anaclasim, quam ex ionicis a minore, inprimis tetrametris adsumpsit, non solum ita adhibuerit, ut versus ab eo novati responderent quattuor illis generibus tetrametrorum, sed etiam quomodo ea liberius usus sit, ut etiam haec schemata evenirent, quae rarissima esse diximus:

– – ⏑ ⏑ | – ⏑ – ⏑ | – – ⏑ ⏑ | – – ‖ – – ⏑ ⏑ | – ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ | – –.

tenendum ergo est sotadeum re vera compositum esse ex anologia tetrametri trochaici catalectici in duas syllabas.

Caput II.

Hoc capite sotadeos et Graecos et Latinos, qui ad nostram memoriam pervenerunt, proponam ita, ut quid nobis traditum sit libris, quid novatum ab editoribus, facili negotio conspici possit. simul quid ipse sentiam de locis dubiis vel corruptis breviter explicabo. qua re quaestionis tertio capite instituendae solidum fundamentum iacietur.

Sotadei Graeci.

Sotadis reliquiae.

1. *τίνα τῶν παλαιῶν ἱστοριῶν θέλετ' ἐσακοῦσαι;*
2. *σείων μελίην Πηλιάδα δεξιὸν κατ' ὦμον.*
3. *Ἥρην ποτὲ φασὶν Δία τὸν τερπικέραυνον.*
4. *εἶς οὐχ ὁσίην τρυμαλιὴν τὸ κέντρον ὠθεῖς.*
5. *ὁ δ' ἀποστεγάσας τὸ τρῆμα τῆς ὄπισθε λαύρης*
   διὰ δενδροφόρου φάραγγος ἐξέωσε βροντὴν
   ἠλέματον, ὁκοίην ἀροτὴρ γέρων χαλᾷ βοῦς.

1. ex Adonide. Heph. ench. 5, 21 W.; cf. Choer. comm. in Heph. Studemundi Anecd. I 40, 26 (*ἀκοῦσαι U*), 41, 13 (*ἐπακοῦσαι KSU*), schol. Heph. 105, 13 W., Studemund. Anecd. I 122, 14.

2. ex Iliade (cf. Il. *Π* 143, *Υ* 277) Heph. ench. 11, 5; cf. Choer. comm. in Heph. Studemund. Anecd. I 55, 24 (*Πηλιάδω S*); 56, 4; schol. Heph. 120, 26 sq. W. Studemund. Anecd. I 127, 14 (*Πηλείδ*[*α*]), Demetr. de eloc. 189, Hermog. de form. orat. III 229, 18 W.

3. (ex Iliade) Heph. ench. 37, 1.

4. Athen. XIIII 621 A, schol. Heph. 105, Plut. Mor. 11 A.

5. Athen. XIIII 621 B.

Lycophronidis reliquiae.

6. [οὔτε παιδὸς ἄρρενος οὔτε παρθένων,]
τῶν χρυσοφόρων οὐδὲ γυναικῶν βαθυκόλπων
καλὸν τὸ πρόσωπον, ἀλλὰ κόσμιον πεφύκει·
[ἡ γὰρ αἰδὼς ἄνθος ἐπισπείρει].
7. [τόδ' ἀνατίθημί σοι ῥόδον
καλὸν νόημα καὶ πέδιλα καὶ κυνέαν καὶ]
τὰν θηροφόνον λογχίδ', ἐπεί μοι νόος ἄλλᾳ
κέχυται ἐπὶ τὰν Χάρισι φίλαν παῖδα καὶ καλάν.

Fragmenta incertae vel dubiae originis.

8. τὴν μῆνιν ἄειδε, μοῦσα, τὴν Ἀχιλλέως μοι.
9. σαρκικὸν γὰρ εἶχε χρῶτα καὶ τὸ δέρμ' ὅμοιον.
10. βλαστεῖ δ' ἐπὶ γῆς δένδρεα παντοῖα φύοντα.
11. χὡς παῖς πόκα πότνα σὸς ἐφ' ἄμμιν τερατουργεῖς.
12. ὤδινεν ὄρος, Ζεὺς δ' ἐφοβεῖτο, τὸ δ' ἔτεκεν μῦν.
13. ἐν δ' οἱ μὲν ἐπ' ἄκραισι πυραῖς νέκυες ἔκειντο
γῆς ἐπὶ ξένης, ὀρφανὰ τείχεα προλιπόντες
Ἑλλάδος ἱερῆς καὶ μυχὸν ἑστίας πατρῴης
ἥβην τ' ἐρατὴν καὶ καλὸν ἡλίου πρόσωπον.

6. Athen. XIII 564 B, Bergk PLG.[4] III 633. non facio cum Meinekio, qui ἦν μὴ κόσμιον πεφύκῃ scribendum esse dixit, etsi eum Bergk et Kaibel secuti sunt. in verbo κόσμιον inest gradatio. hoc dicere voluit poeta non solum pulcrum fuisse vultum, sed etiam decorum.

7. Athen. XV 670 E, Bergk PLG.[4] III 634. in vv. 3 et 4 constituendis G. Hermannum sequor, qui sotadeos eos esse censuit, sed nolim cum eodem vv. 1 et 2, in quibus ῥοδεῖον καλὸν μνῆμα κ. π. καὶ ⟨τὰν⟩ κ. καὶ scripsit, ad idem metrum revocare, cum eodem modo quo in fragm. 6 sotadei versibus alius generis intermixti esse possint. καλὸν ἄνθημα coniecit Casaubonus, καλὸν ἀνάθημα Bergk, ego καλόν θ' εἷμα suspicatus sum. ea quae C. F. Hermann Philol. X 235 sq. disputavit sciens praetereo.

8. anon. Ambr. de re metr. Studemund. Anecd. I 288 τὰ γοῦν Σωτάδεια (Studemund, σώματα seq. lac. 2 vel 3 litt. *A*) τούτῳ τῷ μέτρῳ γέγραπται οἷον . . . grammatici alicuius lusum hunc versum esse puto ex genuino Iliadis versu per transpositionem confectum. ceterum ut iustus evaderet sotadeus, scribendum erat μοι pro ἐμοί, quod in *A* legitur.

9. Choer. comm. in Heph. Studemund Anecd. I 79, 9.

10. schol. Heph. 139, 23 W.

11. Tricha de metr. Script. metr. Gr. ed. Westphal 293: τοῦτο δὲ Σωτάδειον ὀνομάζεται.

12. Athen. XIIII 616 D.

13. Dion. Hal. de comp. verb. 4: τοιαῦτά ἐστι τὰ Σωτάδεια ταυτί; cf. Hermog. de form. or. III 230, 19 W. v. 1 ἄκραισι pro ἄκραις, quod est in libris scripsit, ac v. 4 ἐρατὴν pro ἐρατεινὴν. eodem Dionysii loco haec leguntur: ἄλλους πάλιν λαβὼν στίχους Ὁμηρικοὺς οὔτε προσθεὶς οὐδὲν αὐτοῖς οὔτε ἀφελών, τὴν δὲ σύνθεσιν ἀλλάξας μόνον ἕτερον ἀποδώσω μέλος τετράμετρον, τὸ καλούμενον Ἰωνικόν· ὡς ὁ πρόσθ' ἵππων καὶ δίφρου κεῖτο τανυσθείς, βεβρυχώς, κόνιος δεδραγμένος αἱματοέσσης (Il. *N* 392 sq.): ὡς ὁ πρόσθ' ἵππων καὶ δίφρου κεῖτο τανυσθείς, αἱματοέσσης κόνιος δεδραγμένος, βεβρυχὼς (– ⏑ – – | – – – || – ⏑ ⏑ | – –, – ⏑ ⏑ – | – ⏑ ⏑ – || – ⏑ – ⏑ | – –, vel si κόνιος per duas syllabas pronuntiandum est: – – ⏑ ⏑ | – ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ | – –). sed recte docuit Her-

Fragmenta a Stobaeo Sotadi adscripta.[1])

14. λύπη σε μακρὰν προφεύξεται ἀγαθὰ φρονοῦντα.
μιμοῦ τὸ καλόν, καὶ μενεῖς ἐν βροτοῖς ἄριστος.
νόμος ἐστὶ θεός, τοῦτον ἀεὶ πάντοτε τίμα.
ξένος ὀφείλεις εἶναι τῶν οὐ καλῶς φρονούντων.
οὐ καλῶς βιοῖς, παράμενε, κεὐτυχεῖς τὰ πάντα.
παρατήρει τὰ πάντων καλὰ καὶ ταῦτα σὺ μιμοῦ.
ῥῆσιν δ' ἀγαθὴν ⟨σὺ⟩ δεδομένην φύλασσε σαυτῷ.
σοὶ τοῦτο γενέσθω φίλον ⟨μὴ⟩ μηδὲν ἀτακτεῖν,
τὴν ἡσυχίαν κατὰ βίον ἵνα πάντοτε τηρῇς.
ὑγιαίνειν εὔχου τοῖς θεοῖς ἐφ' ὅσον ἔχεις ζῆν.
15. τῆς τύχης σκοπεῖν δεῖ τὸ μέγιστον ὡς ἔλαττον,
καὶ τὸ μὴ παρὸν μὴ θέλειν· οὐδὲ γὰρ σόν ἐστιν.
ἀμφότερα μένειν οὐκ οἶδεν· ἕστηκεν γὰρ οὐδέν.
ἂν πλούσιος ὢν καθ' ἡμέραν σκοπῇς τὸ πλεῖον,
ἐς τοσοῦτον εἶ πενιχρός, ἐς ὅσον εἶ περισσός,
ὡς πένης θέλει σχεῖν καὶ πλούσιος πλέον σχεῖν,
ἴσον ἔχουσιν αὐτῶν αἱ ψυχαὶ τὸ μεριμνᾶν.
16. εἰ καὶ βασιλεὺς πέφυκας, ὡς θνητὸς ἄκουσον.
ἂν μακρὰ πτύῃς, φλεγματίῳ κρατεῖ περισσῷ.
ἂν δ' εὐιματῇς, ταῦτα πρὸ σοῦ προβάτιον εἶχεν.
ἂν χρυσοφορῇς, τοῦτο τύχης ἐστὶν ἔπαρμα.
ἂν πλούσιος ᾖς, τοῦτο χρόνων ἄδηλος ἰσχύς.
ἂν ἀλαζονῇς, τοῦτ' ἀνοίας ἐστὶ φρύαγμα.
ἂν δὲ σωφρονῇς, τοῦτο θεῶν δῶρον ὑπάρχει.
ἡ σωφροσύνη πάρεστιν, ἂν μετρῇς σεαυτόν.
17. αὐτὸς γὰρ ἐὼν παντογενὴς ὁ πάντα γεννῶν
οὐ κρίνει δικαίως τὰ κατ' ἄνθρωπον ἕκαστον.

mannus eiusmodi lusibus nihil tribuendum esse; cf. Hermog. de form. or. III 230, 16 W. et schol. VI 242 sq. W.

14. Flor. III 39 (I 67 H.). in v. 7 cum Hermanno supplevi *σύ*, Buecheler ante *φύλασσε* addidit *εὖ*. patet enim in versu qualis traditus est unam syllabam brevem desiderari ac mirum sane Butzerum in antiquo illo errore adquievisse iam ab Hermanno sublato, qui paeonem primum in sotadeis admitti negavit. item in v. 8, ut stare possit, aliquid addendum esse nemo non videt. quamobrem Brunck *μηδαμῶς* pro *μηδὲν* scripsit, Hermannus *τὸ σὲ* ante *μηδὲν* inseruit, ut hic pes efficeretur ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑, Gaisford *ποτ'* post *μηδὲν* addidit, Hense denique ⟨*τὸ*⟩ *φίλων* restituit. mihi *μὴ* ante *μηδὲν* excidisse videtur.

15. Flor. V 32 (I 66 H.). v. 3 *ἕστηκε* G. Christ scripsit, *ἕστηκεν* Hermannus, *ἑστήκει* exhibet Paris. gr. 1985. v. 5 Brunck *ἐς ὅσον* scripsit pro *εἰς ὅσον*, quo retento hoc monstrum pedis prodiret: – ⏑ ⏑ – ⏑. idem v. 6 quod traditum est *θέλεις σχεῖν* mutavit in *θέλων ἔχειν*; praetuli Buecheleri emendationem *θέλει σχεῖν*. paullo post Brunck *σχεῖν* scripsit, *ἔχειν* legitur in libris.

16. Flor. XXII 26 H. v. 2 Buecheler *φλέγματί τῳ* coniecit. v. 6 *ἀλαζὼν ᾖς* legitur in cod. Bruxellensi.

17. Flor. LXXXXVIII 9. v. 2 Butzer *κρινεῖ* scribendum esse proposuit, ut haec ditrochaei forma: – – – ⏑ evitaretur. sed constat eam saepius atque in prima versus

[1]) His fragmentis nihil commune esse cum poesi sotadea praeter metrum demonstravit A. Meineke Anal. Alex. p. 246 sq. cf. U. Wilamowitz-Moellendorf Quaest. phil. VIIII 140.

καὶ γὰρ κατὰ γαῖαν τά ⟨γε⟩ κακὰ πέφυκεν ἀεί,
καὶ τοῖς μεγάλοις ἀεὶ κακοῖς γέγηθ' ὁ κόσμος,
ὅτι πάντες, ὅσοι περισσὸν ἠθέλησαν εὑρεῖν
ἢ μηχανικὸν ποίημ' ἢ σοφὸν μάθημα,
οὗτοι κακὸν εἰς τὸν θάνατον τέλος ἐποίησαν,
ὑπὸ τοῦ γεννήτορος κόσμου κακῶς παθόντες.
Σωκράτην ὁ κόσμος πεποίηκεν σοφὸν εἶναι
καὶ κακῶς ἀνεῖλεν τὸν Σωκράτην ὁ κόσμος,
ἐν τῇ φυλακῇ κώνειον ὅτι πιὼν τέθνηκε.
πουλύποδα φαγὼν ὁ Διογένης ὠμὸν τέθνηκεν,
Αἰσχύλῳ γράφοντί ⟨τι⟩ ἐπιπέπτωκε χελώνη.
Σοφοκλῆς ῥᾶγα φαγὼν σταφυλῆς πνιγεὶς τέθνηκε.
κύνες οἱ κατὰ Θρᾴκην Εὐριπίδην ἔτρωγον.
τὸν θεῖον Ὅμηρον λιμὸς κατεδαπάνησεν.

18. ἀγαθὸς εὐφυὴς [καὶ] δίκαιος εὐτυχὴς ὃς ἂν ζῇ,
τοῦ φθόνου λαβεῖν δεῖ μερίδ' ⟨ἢ⟩ μῶμον ἔχειν δεῖ.
πλουτεῖ τις ἄγαν, ἀλλὰ πάθος παρέλαβεν αὐτόν.
εὐσεβής τίς ἐστιν, πενίαν δέδωκεν αὐτῷ.
μέγας ἐστὶ τεχνίτης [τις], ἀτυχῆ πεποίηκ' αὐτόν.
κἂν ἐπὶ τὸ μέγιστον δίκαιος κριτὴς ὑπάρχῃ,
δεῖ τὸν φύσει νικώμενον ἄδικον αὐτὸν εἰπεῖν.
πλούσιός τίς ἐστιν, τὸ μέγα πτῶμα φοβεῖται.
ἰσχυρὸς ὑπάρχει, νόσον πεῖραν εὐλαβεῖται.
ἡμέρας μιᾶς ἀλυπία μέγ' ἐστὶ κέρδος.
τί γάρ ἐσμεν ὅλως ἢ ποταπῆς γεγόναμεν ὕλης;
στοχάσαι κατὰ σεαυτὸν τὸ βιωτικὸν νοήσας
ἐκ τίνος ἐγένου καὶ τίς εἶ καὶ τίς πάλιν γίνῃ.

19. ὁ πένης ἐλεεῖται, ὁ δὲ πλούσιος φθονεῖται,
ὁ μέσος δὲ βίος κεκραμένος δίκαιός ἐστιν·
αὐτάρκεια γὰρ πρὸς πᾶσιν ἡδονὴ δικαία.

20. πλειστάκις ἀδικούμενός τις ἐν ἀδικοῦντι καιρῷ
ἀνέχεται τις οὗ μὴ θέλει διὸ φέρει γενέσθαι.

sede inveniri. in v. 3 desiderabatur una syllaba brevis, quam explevit Hermannus vocula *γε* inserta. nulla omnino causa fuit cur Hermannus in v. 4 *κακοῖσιν* scriberet *ἀεὶ* exterminato. cur enim offendamur *ἀεί* in tali carmine repetito? in v. 6 *ποίημα* propter hiatum mutatum est in *ποίημ'*, qua re molossus efficitur. quod in v. 6 Nauck scripsit *πρόβλημ'*, id, si syllabam priorem brevem esse voluit, ferendum non est, cum ea re constitueretur pedis forma choriambica nullo alio exemplo confirmata. sin eam syllabam longam esse statuit, quod sane fieri potest, obiciam nihil impedire, quominus *ποίημ'* retineamus, idque aptius adeo opponi ei quod sequitur *μάθημα*. v. 10 recte *ἀνεῖλεν* restituit Hermannus pro *ἀνεῖλε* et in v. 13 *τι* ad versum explendum adiecit. *πουλύποδα* denique v. 12 (libri praebent *πολύποδα*) certa est Trincavellii emendatio.

18. Flor. LXXXXVIII 10. v. 1 *καί*, quo versus turbatur, inclusit Hermannus, idem v. 2 egregie *μερίδ' ἢ* pro *μερίδα* restituit. nec minus probo quod ille v. 6 *τις* inclusit, quod facile irrepere potuit ex eis quae antecedunt et *πεποίηκ'* scripsit pro *πεποίηκεν*.

19. Flor. CIII 13.

20. Flor. CVIII 40. v. 2 scripsi *οὗ* pro *ὃ*; habes adtractionem quae a grammaticis vocatur. qua re expletur pes alter, in quo tempus unum desideratur.

21. πῶς ἀναλύεται τὸ σῶμα πνεύματος φυγόντος.
22. πάντων ⟨ὁ⟩ λιμὴν τῶν μερόπων ὁ θάνατός ἐστιν.

Luciani sotadei.

23. οὐχ αἷμα λάβρον προχέομεν ἀποτομαῖς σιδάρου,
οὐ τριχὸς ἀφέτου λυγίζεται στροφαῖσιν αὐχήν,
οὐδὲ πολυκρότοις ἀστραγάλοις πέπληγε νῶτα,
οὐδ' ὠμὰ λακιστὰ κρέα σιτούμεθα ταύρων·
ὅτε δὲ πτελέας ἔαρι βρύει τὸ λεπτὸν ἄνθος
καὶ πολυκέλαδος κόσσυφος ἐπὶ κλάδοισιν ᾄδει,
τότε διὰ μελέων ὀξὺ βέλος πέπηγε μύσταις,
ἀφανές, κρύφιον, δεδυκὸς ὑπὸ μυχοῖσι γυίων,
πόδα, γόνυ, κοτύλην, ἀστραγάλους, ἰσχία, μηρούς,
χέρας, ὠμοπλάτας, βραχίονας, κορωνά, καρποὺς
ἔσθει, νέμεται, φλέγει, κρατεῖ, πυροῖ, μαλάσσει,
μέχρις ἂν ἡ θεὸς τὸν πόνον ἀποφυγεῖν κελεύσῃ.

Moschionis sotadei.

24. M Μή με θαυμάσῃς, εἰ πολύχωρος οὔσ' ἄδηλον
O ὄμμασιν φέρω φαντασίην· οὐ δύναται γὰρ
C στοιχεῖά τις εὔγνωστα τιθεὶς μὴ οὐκ ἀποκρύψαι
X χώρην, ἵνα τῶι θέλοντι καὶ πλάνην παράσχηι.
I ἵνα δὲ μὴ μακρὴν κεῖσ' ἄπορον τράπῃς ἀταρπόν,
Ω ὡς ἂν ἰσαρίθμων Πιερίσιν στίχων κατάσχῃς
N νοῦν, ἀποκνίσας εὐξύνετον γράμμ' ἀφ' ἑκάστου,
O ὅρμησον ἐφ' ἣν τέθεικε χειραγωγὸν ἀρχήν·
C σημανεῖ γάρ, εἰ πύθοιο, κἢν ὀρθὸν ἔχῃς νοῦν.

Sotadei Latini.

Ennii reliquiae.

Sotae fragmenta.

25. *alius in mari vult magno tenere tonsam.*
26. – – *alii ⟨denique⟩ rhetorica tongent.*

21. Flor. CXVIII 7.

22. Flor. CXX 11. Gaisford ὁ inseruit (una enim atque brevis syllaba requiritur), δὲ Hermannus.

23. Tragodopodagrae vv. 113—124. v. 1 προχέομεν Guyetus: προσχέομεν libri; ἀποτομαῖς Hermannus: ἀπὸ στόματος libri, v. 10 χέρας Hermannus: χεῖρας libri, v. 11 ἔσθει Gavel.: ἐσθίει libri. in v. 4 O. Puchstein Diss. phil. Argentorat. IIII 12 verbis transpositis scripsit ὠμὰ κρέα λακιστά, qua re caesuram in hoc versu restituere voluit. sed caesuram nequaquam necessariam esse in versu sotadeo iam supra diximus; cf. U. de Wilamowitz-Moellendorf Quaest. phil. VIIII 140.

24. extat hoc carmen in tabula votiva lapidea, quae Cairi empta in museum Berolinense illata est. edidit hoc carmen O. Puchstein Diss. phil. Argentorat. IIII 9.

25. Fest. 356 (Sot. II = Sat. 62 M.).

26. Fest. 356 (Sot. III = Sat. 63 M.). hunc versum cum superiore iungendum esse intellexit Scaliger Coniect. p. 29. animadvertas *rhetŏrica* pronuntiandum esse; cf. Vahlenum p. 105 et 165. *denique* addidit Vahlen.

27. *ibant malaci viere veneriam corollam.*
28. *ille ictu' retro reccidit in natem supinus.*
29. – – ⏑ ⏑ – – *Cyprio bovi merendam.*
30. – – ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ – *neque ille triste*
quaeritat sinapi neque caepe maestum – –.
31. *tibicina maximo labore mugit* – –.

Acii Didascalicon reliquiae.[1])

32. *num ergo aquila ita ut hice praedicant sciciderat pectus?*
33. *placare ferocem hostem inimiciterque accensum.*
34. – – ⏑ ⏑ – – *sapientiaeque invictae*

27. Varro de ling. lat. V 82, Fest. 355 s. v. viere, Censorinus falsus 2726 (Sot. IIII = Sat. 64 M.). translatum esse hunc versum ex Graeco *πόας τέρεν ἄνθος μαλακὸν ματεῦσαι* (Hephaest. ench. 37, 11) intellexit Columna.

28. Censorinus falsus 2726 nomine auctoris non addito (Sot. V = Sat. 65 M.). Ennio tribuit Lachmann ad Lucret. I 186.

29. Paul. 59 (Sot. VI = Sat. 66 M.) libri nomine non adiecto. ad Sotam rettulit Scaliger.

30. Macrob. Sat. VI 5, 5 (*in libro Sabinarum quarto*), Serv. in Georg. I 75 (Sat. 23 sq. M.). sotadeos agnovit A. Hug. *saturarum* scripsit Columna, *Sabinarum* defendit Vahlen, qui haec verba Saturniorum particulas esse suspicatus est.

31. Varro de ling. lat. VII 104 (inc. libr. fragm. p. 88 M.) incertum utrum saturis an comoediis adscribendus sit hic versus, cum, id quod L. Mueller animadvertit, per trochaeos quoque disponi possit – –́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ – ⏑. — restat ut breviter disputemus de versibus Ennianis a Gellio N. A. XVIII 2, 7 adlatis:

nam qui lepide postulat alterum frustari,
quem frustratur frustra eum dicit frustra esse;
nam qui sese frustari quem frustra sentit,
qui frustratur is frustrast; non ille est frustra.

de sotadeis constituendis non pauci cogitaverunt homines docti. sed si accuratius inspexeris, intelleges excepto primo versu ceteros numero sotadeo repugnare. trochaicos in iis inesse numeros Hermannus animadvertit, qui elem. doctr. metr. 453 de eis accurate disputavit. sed primum quoque versum trochaicam mensuram admittere videmus atque ea res eo probabilior est, quo artius inter hunc ceterosque vinculum intercedit; vix enim credi potest Ennium hoc loco verborum lusu tam insigni diversa metrorum genera adhibuisse. quae cum ita sint, non meum esse puto quomodo hi versus conformandi sint diligentius inquirere.

32. Gell. N. A. VI 9, 16, Priscian. Gr. Lat. II 517, 5 (fr. 2 M.). – *hice* pro *hic* egregie restituit Mueller.

33. Nonius 514, 21 (fr. 3 M.) *hostem ferocem* libri, transposuit Lachmann.

34. Nonius 341, 18 (fr. 4 M.). *pater honesto rem* libri, emendavit A. Turnebus; agitur de dono, quo Achilles Nestorem honorasse dicitur Il. Ψ 616 sqq.

---

[1]) Accii Didascalicon libros si non integros at certe magna ex parte sotadeis compositos fuisse et Gellius N. A. VI 9, 16 testatur (*in Sotadicorum libro I*; cf. Priscianus Gr. Lat. II 517, 5) et fragmenta ipsa evincunt. qua de re vide quae disputavit Lachmann Kleine Schrift. II 67 sq. quamobrem Hermanni, qui in versibus traditis tetrametros trochaicos restituere voluit, rationem non habebo.

gratia atque honori' patera Nestorem mactavit
aurea . . .

35. – – ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ – *falsidica, audax,*
gnati mater pessimi, odibili', natura impos,
excors et fera . . .

36. *ut, dum brevitatem velint consequi verborum,*
aliter ac sit rellatum redhostiant responsum.

37. – – ⏑ *sed Euripidi', qui choros temerius*
in fabulis . . .

38. *actoribu' manuleos baltea machaeras* – –

39. *nam quam varia sint genera poematorum, Baebi,*
quamque longe distincta alia ab aliis, ⟨sis⟩, nosce.

40. *et magnificissimei excelsissimeique honore.*

41. *vectigalia egerant vestra et struantur statim.*

42. *nam nec geminei leones nec condalium nec*
Plauti anus nec bis compressa nec Boeotia umquam
fuit neque adeo agroecus neque commorientes
Macci Titi . . .

43. *unde omnia perdisci ac percipi queuntur.*

Varronis sotadeorum reliquiae.[1]

44 *mugit bovis, ovi' balat, equi hinniunt, gallina*
pipat.

45. *grundit tepido lacte satur mola mactatus*
porcus.

35. Priscian. Gr. Lat. II 253, 13 (fr. 5 M.). *ecfera* coniecit Lachmann.

36. Nonius 165, 20 (fr. 6 M.). *rellatum* Lachmann, *relatum* libri, *redhostiant* Hermannus, *redhosti* libri.

37. Nonius 178, 22 (fr. 7 M.).

38. Nonius 194, 17 (fr. 8 M.).

39. Charis. Gr. Lat. I 142, 1 (fr. 9 M.). *sis* addidit Mueller; fortassse *en nosce* vel *nunc nosce* (de *nunc* supplendo cogitavit Hermannus).

40. Priscian. Gr. Lat. II 92. 5.

41. Charis. Gr. Lat. I 220, 10 (fr. 10 M.). *egerant* Madvig et Lachmann, *legerant* Neap., *struantur* Lachmann, *servantur* Neap., *fruantur* Baehrens.

42. Gell. N. A. III 3, 9 libri nomine non indicato (fr. 14 M.). ad Didascalica rettulit Lachmann. *Plauti anus* idem, *anus Plauti* libri, *Macci* F. Ritschl parerg. 14, *M. Accii* libri.

43. Diomedes Gr. Lat. I 385, 26 (fr. 15 M.).

44. Nonius 156, 23 (*Aborigines*) (p. 93 R., fr. 3 B.).

45. Nonius 114, 24 (*Aborigines*) (p. 93 R., fr. 2 B.). cum Nonius 450, 8 haec tradiderit: '*Varro asinos rudere, canes gannire, pullos pipare dixit*', Lachmann coniunctis his fragmentis et suppletis haec lusit: *mugit bos* (male *bos* editiones veteres

[1]) In Varronis saturarum Menippearum reliquiis haud paucos extare sotadeos intellexit Lachmann (cf. Kleine Schrift. 2, 68 sqq.), qui simul multigenas huius versus formas, quibus Varro usus est, explicavit. post Lachmannum de hac re egit A. Riese in Sat. Men. rel. editione p. 85.

46. ⏓ *gravidaque mater peperit Iovi puellum.*
47. *alius domini delicias faselon aptum*
[*tonsil* ⟨*lae*⟩ *litore mobilem* ⟨*in*⟩ *fluctum* ⟨*re*⟩ *solvit.*]
48. *properate*
vivere puerae, qua sinit aetatula ⟨*ludos*⟩
ludere, esse, amare et Veneris tenere bigas.
49. *Ismenias hic Thebogenes fluit scaturrex.*
50. *ubi lucus opacus teneris fruticibus aptus.*
51. *postquam avida libido rapere ac comedere coepit*
seque opificio non probiter clepere.
52. *tum contremula aquilenta aput alta*
litora oreris ac nobilis omnibus reluces.
53. *cum sumere coepisset, voluptas retineret*
⟨*et*⟩ *cum sat haberet, satias manum de mensa*
tolleret.
54. *cum sex pueri et puellulae pariter item sex*
aut septem in utroque cum choro pari vagarunt.
55. [*ventus sub occasum*]
vehementiu' sufflare et calcar admovere

secutus invexit), *ovi', balat, equi hinniunt, gallinae* | *pipat pullu', gannit canis et rudunt aselli,* | *grundit* et q. s. — *tepido* Iunius, *lepido* libri.

46. Priscian. Gr. Lat. II 232, 7 (*Ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς*) (p. 98 R., 19 B). prima arsis deest. cf. Roeper Philol. XVIII 455; Lachmann *alvo* post *mater* inseruit.

47. Nonius 534, 23 (*Desultorius*) (p. 116 R., 85 B.). sotadeos agnovit Roeper Philol. VIIII 573. *aptum* Gerlach, *actum* libri. *tonsillae litore* scripsi, *tonsillitore* libri, *in fluctum* Oehler, *flictum* libri, *resolvit* L. Mueller, *solvit* libri. versus alterius scriptura plane incerta est. *tonsillae et terra* proposuit L. Mueller.

48. Nonius 156, 13 (*Devicti*) (p. 117 R., 87 B.). veri simillimum est post *aetatula* spondeum intercidisse. quamobrem Lachmann *ludos* supplevit, L. Mueller *fluxa*.

49. Nonius 172, 25 (*Est modus matulae*) (p. 124 R., 112 B.). sotadeum agnovit Lachmann.

50. Nonius 234, 31 (*Mutuum muli scabunt*) (p. 173 R., 322 B.). sotadeum agnovit Lachmann.

51. Nonius 510, 27 (*Octogessis*) (p. 177 R.. 342 B.). sotadeos hos esse intellexit Roeper Philol. VIIII 572. idem *comedere* coniecit, libri *concedere*. L. Mueller *caedere* scripsit, quod fortasse cum Buechelero praeferas.

52. Nonius 351, 22 (*Περὶ αἱρέσεων*) (p. 192 R., 400 B.). sotadeos agnovit Lachmann, qui simul quod traditum est *oriris* in *oreris* mutavit. nam si *oriris* scribimus, pes inusitatissimus – ⏑ ⏑ – ⏑ infertur; cf. Butzer p. 21. *cum tremula* coniecit Gulielmus Verisim. III 18, quod verum esse videtur.

53. Nonius 172, 5 (*Prometheus liber*) (p. 202 R., 429 B.). sotadeos esse statuit Vahlen, qui *et* supplevit, *sibi* post *sat* addidit L. Mueller. contra haec prosa oratione scripta esse statuit Buecheler.

54. Nonius 468, 22 (*Pseudulus Apollo*) (p. 203 R., 438 B.). sotadeos indagavit Lachmann, qui *puellulae* scripsit, *puellae* praebent libri; *in utroque cum* Merceri coniectura est non extra omnem dubitationem posita, *sin vero quae cum* legitur in libris.

55. Nonius 451, 29 (*Sesquiulixes*) (p. 210 R., 472 B.). sotadeos restituit L. Mueller, prosam orationem statuit Buecheler. *sub occasum* scripsit Lipsius (*sub occasu* Iunius), *succasu* praebent libri. *buccas suas* coniecit Roeper Philol. VIIII 527, *buccas* Riese. *vementiu'* mavult L. Mueller.

56. *iugere volitans milvus aquam e nubibu' tortam*
indicat fore, ut tegillum pastor sibi sumat.
57. *qui se in ganeum ac censum coniecit amicae.*[1])

Petronii et Martialis sotadei.

58 a. *huc, huc ⟨cito⟩ convenite nunc, spatalocinaedi,*
pede tendite, cursum addite, convolate planta
femore⟨que⟩ facili, clune agili et manu procaces,
molles, veteres, Deliaci manu recisi.
58 b. *ter corripui terribilem manu bipennem,*
ter languidior coliculi repente thyrso
ferrum timui, quod trepido male dabat usum.
nec iam poteram, quod modo conficere libebat;
namque illa metu frigidior rigente bruma
confugerat in viscera mille operta rugis
ita non potui supplicio caput operire,
sed furciferae mortifero timore lusus
ad verba, magis quae poterant nocere, fugi.
59. *Has cum gemina compede dedicat catenas,*
Saturne, tibi Zoilus, anulos priores.

Terentiani Mauri sotadei.

60. *Elementa, rudes quae pueros docent magistri,*
vocalia quaedam memorant, consona quaedam;
haec reddere vocem quoniam valent seorsa,
nullumque sine illis potis est coire verbum:
at consona quae sunt, nisi vocalibus aptes,
pars dimidium vocis opus proferet ex se,

56. Nonius 171, 1 (*Sesquiulixes*) (p. 211 R., 464 B.). sotadeos restituit Roeper Philol. VIIII 572. *iugere* scripsit Scaliger Coni. p. 37 (cl. Paulo Festi 104) *vigere* libri, *milvus* Iunius (*visus* Gulielmus) *mulsus* libri, *tegillum* edd. vett., *texillum* libri (*tigillum* L. Mueller).

57. Nonius 208, 14 (*Sesquiulixes*) (p. 213 R., 481 B.). sotadeum agnovit Vahlen p. 224.

58 a. c. 23 (p. 17, 30 ed. tert. Buecheler). v. 1 *cito* et v. 3 *que* addidit Buecheler.

58 b. c. 132 (p. 98, 29 B.).

59. Mart. III 29. cf. Friedlaenderi praef. I 27.

60. vv. 85—278. v. 44 *sat⟨is⟩* scripsi cum Santenio, *sat* liber; Keil Lachmannum secutus *fas* recepit.

[1]) Restat ut quam brevissime exponam de quibusdam fragmentis, in quibus sotadeos inesse viri quidam docti statuerunt. atque prosa oratione scripta mihi esse videntur Andabatarum fr. 10 R. (p. 102; 32 B.), ex quibus verbis sotadeos elicere voluit Vahlen Coni. 174 et Epitaphionum fr. 2 R. (p. 122; 110 B.), quod ad numeros sotadeos revocavit L. Mueller; in Endymionum fr. 8 R. (p. 122; 101 B.) hendecasyllabus potius statuendus est quam versus ionicus; in Sexagessis fr. 8 (p. 216; 499 B.) O. Keller sotadeum agnoscere voluit, sed rectius de saturniis cogitandum esse censuit A. Meineke 740. prorsus incerta res est in Armorum iudicii fr. 2 R (p. 105; 42 B.) et in fr. 3 R. saturae, quae inscribitur 'Est modus matulae' (p. 123; 113 B.).

pars muta soni comprimet ora molientum.
illis sonus obscurior impeditiorque
utcumque tamen promitur ore semicluso,
vocalibus atque est minor auctiorque mutis:
his caeca soni vis penitus subest latetque,
ut non labiis hiscere, non sonare lingua,
ullumve meatum queat explicare nisus,
vocalia rictum nisi iuncta disserarint.
res cum tenuis, difficile est probare verbis:
exempla solent sensibus admovere lucem.
B cum volo vel C tibi vel dicere D G,
E, quae sonitum commodat hisce, si negetur,
et labra prementur simul et revincta lingua:
haec vim tacitam sponte sua nimisque mutam
coniuncta potentem sonitus facit latentis,
geminumque refert auribus ex utraque sensum,
si proprietas tradita, si regula nota est.
Nunc singula quam possideant in ore sedem,
ictusque suos concipiant et unde rumpant,
ut quivero, versu blaterabo sotadeo.
A prima locum littera sic ab ore sumit:
immunia rictu patulo tenere labra,
linguamque necesse est ita pendulam reduci,
ut nisus in illam valeat subire vocis
nec partibus ullis aliquos ferire dentes.
E quae sequitur vocula dissona est priori,
quia deprimit altum modico tenore rictum,
et lingua remotos premit hinc et hinc molares.
I porrigit ictum genuinos prope ad ipsos
minimumque renidet supero tenus labello.
o Graiugenum longior altera est figura,
alter sonus est et nota temporum minori,
compendia nostri meliora crediderunt,
vocalibus ut non nisi quinque fungeremur;
productio longis daret ut tempora bina,
correptio plus tempore non valeret uno.
hinc ἦτα minus scribimus, hinc et ω supremum
una quoniam sat⟨is⟩ habitum est notare forma,
pro temporibus quae geminum ministret usum.
igitur sonitum reddere cum voles minori,
retrorsus adactam modice teneto linguam,
rictu neque magno sat erit patere labra.
at longior alto tragicum sub oris antro
molita rotundis acuit sonum labellis.
Y quam memorant, vocibus avia est latinis:
vocalibus autem quoniam iugata graecis
in nostra etiam verba dabat frequenter usum,
subiecimus illam, cui nomen U dederunt,
vocale sonantes sibi quae iugaret omnes
et sola sonum redderet ex sua figura;

quam scribere Graius, nisi iungat ov, nequibit.
hanc edere vocem quotiens paramus ore,
nitamur ut U dicere, sic citetur ortus:
productius autem coeuntibus labellis
natura soni pressior altius meabit
Hanc et modo quam diximus I simul iugatas
verum est spatium sumere vimque consonantum,
ut quaeque tamen constiterit loco priore.
nec tunc modo cum iungimus hoc valebit ipsas,
sed si qua erit his altera vocalis adhaerens,
vis haec manet illis, quasi cum simul iugantur,
nam si iuga quis nominet, I consona fiet,
U qualis erat permanet in loco sequenti:
et cum iaculum aut dico iecur Iovem iuvencum,
nil ordo secundis tribuit, prior iuvatur.
versa vice si sit prior U, sequatur illa,
cum dico vide, contulit I sonum priori,
ast ipsa manet tempore quo sonabat ante.
vocalibus hoc et reliquis praedita servat,
ut vade, veni, vota refer, teneto vultum:
crevisse sonum perspicis et coisse crassum.
unde Aeoliis littera fingitur digammos,
quae de numero sit magis una consonantum,
vocalis in istum mage quam versa sit usum.
sed ut, altera quo differat altera sciamus,
I cum medio nomine sic erit locata,
vocalis ut illam ex latere utroque coartet,
Baiana velut, peior, item Troia vel huius,
ipsa, ut docui, consona fiet a sequenti,
et si brevis est quae posita est loco priore,
longam faciet non minus hanc consona sola,
ceu longa fit olim, quotiens duae sequuntur.
aut si nimium est hoc dare, vocalis ut una
fiat similis tempore consonis duabus,
atque I geminum scribere nos iubent magistri,
I consona fiet simul et sequens priorem,
et quae prior est auxilio posterioris.
hoc U, simili si fuerit loco, nequibit:
cum dico lavor, dico nives pluvia novales.
sola consonans ipsa fit, ut prius notasti:
perstat brevitas, quae fuit ante collocatis.
Iam cetera non ordine quo solent loquemur,
verum ut cuique est proximitas vocis sonore,
ne dicta prius me subigat referre rursum
vicinia vocum modico dirempta puncto.
B littera vel P quasi syllabae videntur
iunguntque sonos de gemina sede profectos:

83 *ex latere* Lachmann, *latere ex* liber.

nam muta iubet portio comprimi labella,
vocalis at intus locus exitum ministrat.
compressio porro est in utraque dissonora:
nam prima per oras etiam labella figit,
velut intus agatur sonus; ast altera contra
pellit sonitum de mediis foras labellis.
utrumque latus dentibus applicare linguam
C pressius urget: dein hinc et hinc remittit,
quo vocis adhaerens sonus explicetur ore.
G porro retrorsum coit et sonum prioris
obtusius ipsi prope sufficit palato.
at portio dentes quotiens suprema linguae
pulsaverit imos modiceque curva summos,
tunc D sonitum perficit explicatque vocem
T, qua superis dentibus intima est origo,
summa satis est ad sonitum ferire lingua.
K perspicuum est littera quod vacare possit,
et Q similis. namque eadem vis in utraque est;
quia qui locus est, primitus unde exoritur C,
quascumque deinceps libeat iugare voces,
mutare necesse est sonitum quidem supremum,
refert nihilum, K prior an Q siet an C.
aut G quoque vel C simili parique lege
addi, quasi desit, numero potest priorum.
nulli dubium est faucibus emicet quod ipsis
H littera, sive est nota, quae spiret anhelum.
quin hanc etiam grammatici volunt vacare,
quia non adicit litterulis novum sonorem,
sed graecula quaedam scholicae nitela vocis
vocalibus apte sedet ante posta cunctis,
hastas hederas cum loquor, Hister hospes huius.
solas patitur quattuor ante consonantes,
graecis quotiens nominibus latina forma est,
si quando choros Phyllida rhamnos thyma dico.
Septem reliquas hinc tibi voce semiplenas
vix lege solutus pote nominare sermo.
has versibus apte quoniam loqui negatur,
instar tituli fulgidula notabo milto:
ut quamque loquemur, datus indicabit ordo,
F L M N R S X.
imum superis dentibus adprimens labellum,
spiramine leni, velut hirta graia vites,
hanc ore sonabis, modo quae locata prima est,
adversa palati supera premendo parte
obstansque sono quem ciet ipsa lingua nitens
validum penitus nescio quid tinire cogit,

148 *tinire* Lachmann *inire* liber. minime offendit epitritus in tertia sede; non igitur necesse est ut *sonare* scribatur.

quo littera ad aures veniat secunda nostras,
ex ordine fulgens cui dat locum sinopis.
at tertia clauso quasi mugit intus ore.
quartae sonitus figitur usque sub palato,
quo spiritus anceps coeat naris et oris.
vibrat tremulis ictibus aridum sonorem
has quae sequitur littera. mox duae supremae
vicina quidem sibila dentibus repressis
miscere videntur: tamen ictus ut priori
⟨et⟩ promptus in ore est agiturque pone dentes,
sic levis et unum ciet auribus susurrum:
mixtura secundae geminum parat sonorem,
quia C simul et quae prior est iugando nisum,
retrorsus adactam solidant premuntque vocem.
Nihil Ausoniis esse opus Y sonare dixi
et ζῆτα supremum, nisi graia verba cogent.
Sed quorsum, ais, hoc discere vel docere refert?
tradunt homines, secta quibus Pythagorea est,
arcana secuti physicis remota causis,
summas numeri non ita litteris valere,
graecus pueros ut docet insonans magister,
cum tollere cunctos iubet altius sinistras,
unum sit ut alpha et duo beta et tria gamma.
diversa volunt, alia docent ordine nullo:
referre putant, quae cui sit sub ore sedes,
ut nos modo temptabimus expedire raptim.
aiunt aliquas faucibus exilire ab imis,
γάμμα ut penitus κάππα sonat, ξῖ simul et χῖ;
ictam gravius vocis opus fingere linguam,
si ζῆτα loquor λάβδαvε, νῦ vel hispidum ῥῶ,
et σίγμα, quod istis parili sede vibratur;
dentes sonitum fingere δέλτα θῆτα, tum ταῦ;
. . . .
itidem parili sede sequi φῖ quoque, tum ψῖ.
hinc et numeri non similes habere summas,
et nomina tradunt ita litteris peracta,
haec ut numeris pluribus, illa sint minutis,
quandoque subibunt dubiae pericla pugnae,
maior numerus qua steterit, favere palmam,
praesagia leti minima patere summa.
sic Patroclon olim Hectorea manu perisse,
sic Hectora tradunt cecidisse mox Achilli.
haec sunt quoniam viribus altiora nostris,
si tam tenues res tibi sic dissero versu
vitem ut tenebras, quas solet et soluta versu,
oratio parvis minus explicare rebus,
sat duco meas hactenus occupasse nugas.

158 *et* addidit Lachmann. 163 non est causa cur *nihil* in *nil* mutetur.

61. *Nunc incipiam bis]geminos pedes referre,*
quasi si repetam quos docui disyllabos iam,
unum ut faciant duo pariter pedes iugati.
προκελευσματικός primus erit: breves habebit
hic quattuor omnes, duo quia sunt pariambi:
hunc efficiet Minucius ut quis vocitetur.
versum dabo, quo regula nota fiat omnis,
[perit abit avipedis animula leporis].
hunc nos pedibus scandere convenit iugatis:
tetrametrus erit, tribrachys in fine resistet,
pariambon habebit simul et semipedem unum,
detracta sit ut quarta pedi syllaba quarto.
catalexis enim dicitur ea clausula versus,
quam syllaba vel pes numeri datus minoris
ita terminat, ut discrepet id quod inde restat.
adversus huic tempora bis quaterna sumet:
δισπόνδιος hic dicitur: ecce nomine ipso
debent duplici tempora singuli quaterna.
rhythmis magis hic iugiter invenitur aptus:
anapaestica nec non variantur inde metra,
quasi si duo sint, tempora qui quaterna reddunt.
cum prima brevis, longa dein, tertia longa,
post quarta brevis syllaba continebit omnes,
hunc promit iambus, geminum facit trochaeus:
pes nomen habebit. quod in hoc referre metro
longae prohibent ordine tres simul locatae:
[ἀντίσπαστον enim mage lex heroica promet:]
est forma, Tarentina velut moenia dicas.
claudunt medias quando breves utrimque longae,
est ante trochaeus, sequitur dehinc iambus:
idcirco gemellum vocitarunt χορίαμβον:
nam qui chorios dicitur et trochaeus idem est:
exemplar in isto facile est locare versu,
si Romulidas dicere quis velit Quirites.
sin prima brevis, longa sequens, itemque rursus
sibi consimiles ordine quo duas locari,
hunc rite vocant, quia geminatur, diiambon,
duplicemque trochaeum vocitarunt διτρόχαιον.
est forma prioris, quasi si Corinthios quis,
itidemque sequentis, quasi Gallicane dicat.
nunc reddo duos, nomine quos Ἴωνας ambos
discrimine signant, dedit ordo quod locorum:
longas siquidem quando prius locamus ambas,
exinde breves subdimus, ut putes priorem
spondeon oriri, comitem mox pariambum,

61. vv. 1457—1579. v. 8 eximendum esse ex sotadeis patet.

27 hic versus liberius conformatus est propter metrum, de quo agitur, et quod nomen antispasti elegantiori sotadei formae accommodari nequit.

ἀπὸ μείζονος illum memorant ionicorum:
at qui brevibus praepositis deinde longas
acceperit, ἀπ' ἐλάσσονος hunc iubent vocari.
nomen tibi quid deligo, quo notes priorem,
cum versibus istis totiens recurrat hic pes
longas geminat qui prius et iugat minores?
Lavinia cum dicimus, haec tamen figura est,
metrumque facit, sotadicon quod vocitarunt
qui multa ferunt hoc pede Sotaden locutum.
ἀπ' ἐλάσσονος autem cui nomen indiderunt,
in nomine sic est, Διομήδης. metron autem
non versibus istud numero aut pedum coartant,
sed continuo carmine ⟨quod⟩ pedes gemelli
urgent brevibus tot numero iugando longas,
idcirco vocari voluerunt συνάφειαν.
anapaestica fiunt idem per συνάφειαν.
versus tamen et non minus inde comparatur,
qui saepe pedes tres habeat vel ille plures,
catalectica quos syllaba terminat frequenter.
solet integer anapaestus et in fine locari.
ἀπ' ἐλάσσονος umquam numero non cohibetur,
sensum quotiens terminat aut carmina finit.
longas ratio est ponere, non breves in imo,
pes ut integer sit geminus, simulque in aure
dulcem sonitum tempora longiora linquant.
ἀπὸ μείζονος autem brevior quod est secundis,
versus male ne desinat, adhibentur in imo
quas prima pedis portio longas habet ambas:
ita versus erit de tribus et semipede uno:
tres dico iugatos fieri, semipedem unum.
et paeonici nominis ambo sunt quaterni.
is primus erit, longa cui locata prima est,
quam continuo tres aliae breves sequuntur:
tu pone trochaeum prius et mox pariambon,
Caecilius erit consimilis pedis figurae.
παίωνα secundum faciet secunda longa:
fiet hinc iambus prior et dibrachys alter,
dicat quasi si quis magis hunc Horatius vult:
hoc ordine fit tertius, ut sit pariambus
prior et socium post sibi copulet trochaeum:
Menelaus ei nomen erit simile locatum.
quartum quoniam quarta facit syllaba longa,
subiungit iambum prior hic pes pariambus:
apto similes nomine Πελοπίδαι sonabunt.
et ἐπίτριτος aeque genus est paeonicorum,
totidem pedibus quia varius tempore differt:

58 *quod* addidi, quod sine dubio melius in versum quadrat quam quod supplevit Aldus *quia*.

septena etenim tempora singuli tenebunt,
cum paeonici possideant quina priores.
cum prima brevis syllaba, longae veniunt tres,
is primus habetur, pedibusque post secutis
ex ordine sunt nomina, quem breves tenebunt.
spondeus iambum sequitur quando priorem.
prima si brevis, ἐπίτριτος hic primus habetur.
migrante brevi censequitur pedem trochaeum;
idcirco secundus vocitatur alter hic pes,
ut tertius ille est, brevis ubi tertia currit:
spondeus in hoc fit prior, est sequens iambus;
idemque manet, cum faciet quarta trochaeum,
quartum quoniam perspicis hunc epitriton esse.
versus similes non sinit hic dari figuras;
ut quibo tamen disparili notabo metro.
[*primus Agyllinos pes efficit, alter* Ἀρχιμήδην,
Δημοσθένης *fit tertius, quarto loco*
qui currit, poterit quasi Δωδωναῖος *haberi.*]
Ἄρσιν *quotiens in geminis* θέσινve *quaeres.*
προκελευσματικός *bina dabit, sequens quaterna.*
sex aequa pedes tempora dividant oportet,
binas pariles qui sibi syllabas habebunt.
qui sena tenent tempora, terna partientur.
at quando genus finditur hoc ionicorum,
longis dare nos tempora convenit quaterna,
et bina duabus brevibus dari necesse est:
servare vices ammonet ordo longiorum.
impar numerus paeonicis utrisque coget
aptare duobus tria vel quaterna ternis,
sesquata fere quod numeros pars secat istos.
Perspecta pedum regula si satis videtur,
iam possumus ipsis animum adplicare metris.

62. [*sit pariambus ego aut modo vel puto, quem dabimus sic:*]
qui primus ab oris ego qui primus ab oris
dum conderet urbem modo dum conderet urbem,
sic orsus ab alto puto sic orsus ab alto.
iam porro tenes, quod tibi dico bis locandum,
non verba eadem dicere, sed pedes eosdem.
tres ergo pedes perspicis in commate primo:
spondeon enim subsequitur pes pariambus,
spondeos item clausula fit commatis huius.
haec si repetens talia cola copulabis,
spondeus erit tertius, idem quoque quartus,
[*dum conderet urbem, dum conderet urbem.*]
cernis pariter quattuor absonare longas:

107 vv. 107—109 eximendi e sotadeis utpote facti ad epitritos illustrandos.
62. vv. 2012—2060 et 2072—2092. 1 utpote heroicum inclusimus.

has si veniens in medium pes pariambus
discriminet, ipsas liget ex se tamen ambas,
non hic erit extrinsecus intersitus illis,
sed qui medius iam sedet in commate primo.
dum conderet urbem: medius fit pariambus,
fiatque necesse est iterum commate iuncto.
ergo in medium rite datus cola ligabit:
namque efficit ut quae modo sola dissidebant,
alterna simul tempora dent bina quaternis.
nunc redde mihi, quod volo te tenere semper,
longam in geminas saepe breves solere solvi:
nam saepe cadit dactylus hic, saepe anapaestus,
ut posterior syllaba vel prior soluta est.
cedit quoque vel longa brevi brevisve longae:
nam quae vicibus tempora commodant, resumunt,
miscentque trochaeos sine fraude saepe plures:
spondeon enim duo faciunt et pariambum
versoque dabunt ordine et hi duos trochaeos.
nec tres modo, sed quinque etiam videbis esse.
dabo versiculos, quo tibi res magis probetur:
'urbem tenuem fovent opum benignitate,'
'hostem tegere est paratus et stat ipse nudus'
est unus ion hic datus et quinque trochaei,
vel quattuor insunt, quoniam suprema semper
et longa brevi sufficitur brevisque longae.
nil officiet temporibus vicissitudo:
nec enim numero pendere metra syllabarum,
sua sed pedibus tempora sufficit referre.
sic tribrachus intervenit in locum trochaei:
nam quo fuerint crebrius hi pedes minuti,
vibrare sonum versiculos magis videmus.
Apelassonos autem ratione qua regatur,
cum de pedibus dissererem, satis probavi;
sed quale metrum continuet, nunc referemus.
dixi Diomeden pedis huius esse formam:
in carmine sic est, 'Diomeden modo magnum' . . .
spondeus ⟨ut⟩ autem metron hoc locatus ante
permutat et ex hoc facit ἀπὸ μείζονος edi,
dumtaxat ut ipsum referat clausula versus,
idemque caput praeditus occupet sequentis
(metrum pedibus namque tribus semipedem aptat),
ita si capiti demptus erit subinde solus,
quem fecimus ex hoc ἀπὸ μείζονος videri,
apelassonos illam revocabit synaphian,
binis brevibus quae totidem iugare longas

39 ***nil autem*** liber, *autem* delevit Micyllus. 49 post hunc versum sequuntur undecim versus ionici a minore (2061—2071), quos lacuna indicata omisi. 50 *ut* addidit Lachmann.

ex ordine semper solet et tenere legem,
non versus ut ullo numero pedum regatur,
sed carminis orsum peragat debita finis.
exemplar utrumque ex facili sumere possis.
sic additur: o quam miserarum est neque amori:
cum demitur autem: miserarum est neque amori:
ex hoc iterum demere si breves volemus,
ἀπὸ μείζονος idem, modo qui fuit, redibit:
rarum est neque amori dare ludum neque dulci.
spondeus erit terminus huius tibi versus,
spondeus et alter caput occupet sequentis:
apelassonos immobilis omnis synaphia est.[1])

Sotadei a scriptoribus citati.

63. *non te peto, piscem peto. quid me fugis, Galle?*
64. *Galli timidi semianimes tergora versant.*
65. *volo litoris in margine solus ambulare.*
66. *Pan Maenalio carmine nymphas properantes.*
67. *rumpunt teneras uriferae comas lagei.*
68. *arma qui capit subinde Martiumque tergum.*
69. *o mel quod apes omnibus e floribus libant.*
70. *dic nunc, age Clio, mihi dic nobile carmen.*
71. *cantu docilis Pan age carmen adde cauna.*
72. *dicite, rogo vos, dicite, quid ita rapitur Attis?*
73. *frena capere, tela quatere, saxa iacere disce.*
74. *pronus cupit ingentibus ire cum procellis.*
75. *equitum peditum proelia tela pila pugnas.*
76. *versu volo, Liber, tua praedicentur acta.*

63. Festus 285 a 12 M. (396, 12 Th.); cf. L. Mueller de re metr. p. 85.
64. Caes. Bass. 263, 10.
65. Atil. Fort. 289, 13.
66. Mar. Vict. 77, 31.
67. Mar. Vict. 78, 1.
68. Mar. Vict. 84, 24 fr. Bob. 622, 3.
69. Mar. Vict. 91, 27.
70. Mar. Vict. 91, 29.
71. Mar. Vict. 153, 25.
72. Mar. Vict 92, 12 (131, 25)
73. Mar. Vict. 92, 23.
74. Mar. Vict. 128, 16.
75. Mar. Vict. 131, 14.
76. Diomedes Gr. Lat. I 516, 25.

[1]) Quodsi subduxeris decem fere versus, qui aut sotadeis non sunt adnumerandi aut liberius sunt conformati aut numeris tantum congestis compositi, restant fere versus CCCLXXVII, quibus in quaestione quo modo Terentianus sotadeos construxerit uti possumus.

77. *Thracium nefas renarrat cantitans hirundo.*
78. *Salpinx cane, tempus fugit, intende laborem.*[1])

77. Servius Gr. Lat. IIII 459, 31.
78. Servius Gr. Lat. IIII 464, 11.

Paucis verbis hoc loco tangere liceat quaestionem de M. Porcii Catonis carminis de moribus reliquiis, quem librum A. Fleckeisen in opusculo, quod inscribitur 'Catonianae poesis reliquiae', a. MDCCCLIIII edito sotadeis compositum fuisse statuit. quam coniecturam impugnaverunt praeter alios F. Ritschl, I. Vahlen, H. Iordan neque quemquam hoc tempore eam comprobare certum esse puto. veri simillima est L. Muelleri (De versu Saturnio p. 95) sententia, qua Aulum Gellium, qui huius libri fragmenta nobis servavit, non ipso carmine, quale a Catone profectum est, usum esse statuit, sed exemplo quodam ad puerorum in ludis usum destinato, quo carmen illud ab homine quodam longo post Catonem tempore in prosam orationem et aetatis recentioris sermonem translatum continebatur. nam quae extant fragmenta, nisi vim scripturae traditae intuleris, neque ad sotadicos neque ad saturnios numeros neque ad trochaicos septenarios neque denique ad anapaestos revocari possunt.

Maioris momenti sunt versus illi in Plauti Amphitruone I 1, 14—18 (168—172), quos tales quales in libris traditi sunt hic adpono:

noctesque diesque assiduo satis superque est
quo facto aut dicto adest opus, quietus ne sis.
ipse dominus dives operis et laboris expers,
quidque homini accidit libere, posse retur:
aequom esse putat, non reputat laboris quid sit.

---

[1]) Reliquos versus aut totos fictos a grammaticis aut quibusdam verbis adiectis vel transpositis ex aliis effectos omisi. qui sunt:

Caes. Bass. 263, 8: *Phrygium cupide pede tetigit nemus citato.*
" " 261, 17: *castae dociles Pierides novem sorores.*
Mar. Vict. 113, 23: *Bacche optime gemmis tua vitis tumet ecce.*
" " 130, 23: *quo caduca popli coma glauca iam per agros.*
" " 154, 5: *o quam relevarunt segetes meum laborem.*
" " 154, 10: *cernis quotiens hic Triviae rotetur orbis.*
" " 113, 19: *Pansa optime, divos cole, si vis bonus esse.*
Diom. 516, 26: *acta praedicentur tua, Liber, volo versu.*
Mar. Plot. 541, 16: *nunc cetera arma lecta vobis bona dantes.*
Quintil. IX 4, 90: *messem area, classes mare, caelum tenet astra.*
caput exeruit mobile pinus repetita.

primum versum sotadicum esse notavit Bentleius in exemplari, quo utebatur. deinde G. Hermannus elem. doctr. metr. p. 459 hos versus sotadeos esse statuit atque quarti initium ita conformavit: *quodcumque homini.* idem postea iterum hos versus tractavit et in exemplari suo, quod manibus versabat, haec in scriptura tradita immutavit: v. 1 ⟨*quoi*⟩ *noctesque,* v. 4 *lubere accidit,* denique v. 13 (*hoc magis miser est divitis servos*) adiecit ita conformatum: *hoc magis est miser divitis servos semper.*[1]) post Hermannum non pauci homines docti de his versibus disputaverunt, neque tamen inter eos res convenit; immo in metro et scriptura constituendis alii alias vias ingressi sunt. quid? quod vv. 3—5 ab interpolatore profectos esse censuit C. Fuhrmann Nov. ann. CV 830, vv. 3 et 5 G. Goetz et G. Loewe? quae cum ita sint, satis habeo hos versus adferre, nolo tamen eis tamquam fundamento niti in quaestione de sotadeis instituenda, etsi probe scio Christium de re metr.[2] 490 sq. cum eis facere, qui versus illos sotadeos esse existimaverunt.[2]) accedit quod poetae scaenici Graeci nullo loco in fabulis metro sotadeo usi esse videntur, unde haud immerito conicias neque poetas scaenicos Latinos id in fabulis adhibuisse (cf. Iahnii ann. XVIIII 269). denique reputes quaeso hos versus ex Plautinis solos nunc a quibusdam in sotadeorum numerum referri. mirum vero esset, si Plautus eo metro uno tantum loco in tot fabulis usus esset.

Caput III.

Iam postquam versus sotadeos et Graecos et Latinos, quotquot ad nostram memoriam pervenerunt, enumeravimus,[3]) quae sit earum forma pedumque singulorum dispositio inquiramus. atque ut a poetis Graecis ordiamur, rem ita instituemus, ut primum versus sotadeos, qui aut Sotadi et Lycophronidi diserte tribuuntur a grammaticis aut auctoris nomine non indicato tamquam Σωτάδεια adferuntur, examinemus, ita tamen ut ab his versus quos Sotadi tribuit Stobaeus seiungamus. hi enim singularem locum obtinent, quippe ab homine qui aetate recentior fuit Sotade compositi. qui cum in Sotadis carminibus inesse sententias ad vitam moresque hominum pertinentes inesse animadvertisset, florilegium quoddam confecerat, unde Stobaeus dicta quaedam decerpsit. his adiungam Luciani et Moschionis sotadeos seorsim tractandos.

---

[1]) Plane aliam de his versibus sententiam protulit ipse Hermannus in censura editionis Plauti comoediarum, quam curaverat C. Weise, Iahnii ann. XVIIII 270

[2]) Idem statuit Butzer p. 19.

[3]) In eis quae sequuntur hos versus significabimus numeris, quos in capite altero adhibuimus, littera n. praemissa.

Non me fugit profecto in eo versuum corpusculo, quod primo loco posui, Sotadis ipsius versus paucissimos inesse, ceteros, ut omittam Lycophronidis sotadeos, a grammaticis aut aliunde petitos aut adeo confictos esse, idque in his versibus enumerandis diserte indicavi: sed quis quaeso velit in tanta versuum paucitate de singulis accuratius disputare. id quidem certum est hos versus, quos incertae aut dubiae originis esse diximus, quam maxime ad genuinos Sotadis versus accedere.

Maxime igitur frequentes sunt in versibus illis hae duae sotadei formae:

– – ⏑ ⏑ | – – ⏑ ⏑ ‖ – – ⏑ ⏑ | – –
– – ⏑ ⏑ | – – ⏑ ⏑ ‖ – ⏑ – ⏑ | – –

quorum illa septies, haec sexies invenitur. proxima eis numero haec est forma:

– – ⏑ ⏑ | – ⏑ – ⏑ ‖ – ⏑ – ⏑ | – –

cuius quinque praesto sunt exempla, singularia vero sunt haec schemata:

– – ⏑ ⏑ | – ⏑ – ⏑ ‖ – ⏑ – ⏑ | – –
– ⏑ – ⏑ | – – ⏑ ⏑ ‖ – – ⏑ ⏑ | – –

vides ergo hoc schema – ⏑ – ⏑ | – – ⏑ ⏑ ‖ – ⏑ – ⏑ | – – deesse, id quod casu factum esse in tam exiguo versuum numero mecum statues; certe in versibus a Stobaeo citatis id novies nobis obviam fit.

Pedum in his versibus usum angustiorem esse videmus. habes ionicos puros (– – ⏑ ⏑), ionicos, quorum prior arsis est soluta (⏑ ⏑ – ⏑ ⏑), alios, in quibus soluta est altera (– ⏑ ⏑ ⏑ ⏑), ditrochaeos, quorum forma soluta (⏑́⏑ ⏑ – ⏑) non legitur. quod non minus casui tribuam; vix enim credibile est poetas antiquos eam respuisse. inde a Varronis demum aetate, qui ea usus non est, poetae eam vitasse videntur. formae irrationales ionici et ditrochaei in versibus ab Athenaeo traditis inveniuntur, quos non cum quadam veri specie ad Sotadem referre possumus, dico versus apud Ath. XV 670 E. forma – – ⏑ – semel tantum usurpata est in tertia sede, altera – – – ⏑ semel in secunda (n. 13, 4). sed quamquam in versibus aut Sotadi ipsi tribuendis aut certe aetate ei propioribus formae irrationales ionici et ditrochaei (– – – ⏑, – ⏑ – –, – – ⏑ –) non extant, tamen a versu sotadeo omnino abiudicari eae iure non possunt, id quod H. Butzer opinatus est, qui p. 18 inprimis hanc formam – – – ⏑ in suspicionem vocavit. sed horum versuum numerus minor est quam ut secundum eos regulam certam et normam versus sotadei constituere possimus. sane Luciani Ennii Petronii sotadei has formas non exhibent: non tamen ab his paucis versibus profectis nobis negare licet has formas in versu sotadeo locum habere. Butzer ergo immerito eas, ubicumque repperit, fragmentis apud Stobaeum solis exceptis in dubium vocavit, etiamsi certissimis codicum testimoniis confirmatae sunt. creberrimus est usus ionici integri, ditrochaeus in altera versus parte saepissime occurrit, ionici priorem longam in prima sede

tantum solutam videmus, alteram bis in prima et tertia, semel in secunda in duobus versibus, in quibus haec forma – ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ in tertio pede legitur, n. 12 et 13, 2, mensura ditrochaica (⏓ ⏑ ⏑́‿⏑ ⏑) praeferenda esse videtur (*ἐφο|βεῖτο τὸ δ' ἔτε|κεν μῦν* et *τείχεα προλι|πόντες*). poetae enim breves, quibus arsis formatur, ita plerumque disponere solebant in verbis, ut aut binae breves verbum plurium syllabarum inchoarent aut inter finem et initium binorum verborum dividerentur, si prius cum altero (velut praepositio cum nomine) arte cohaerebat. cavebant autem diligenter ne binis brevibus, quibus arsis continetur, verbum aliquod terminaretur, neque ponebant eas in medio verbo plurium syllabarum neque priore verbum polysyllabum terminari sinebant. quam rationem poetae secuti sunt praecipue in brevibus pro arsi principali positis, in secundaria autem arsi nonnumquam eam neglectam esse videmus. haec igitur res nobis respicienda est, si de mensura huius formae (– ⏑ ⏑ ⏑ ⏑) recte iudicare volumus. unde non licet verborum *ἐφοβεῖτο τὸ δ' ἔτεκεν* hanc statuere mensuram ⏑ ⏑|–́ ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑|– –.

Quodsi nos ad pedum singulorum condiciones describendas convertimus, in prima sede maxime frequentem videmus esse ionicum, interdum arsi soluta aut priore aut altera. atque prioris solutio frequentior est quam alterius. ceterum in pede primo maxime solutiones inveniuntur, ita tamen ut nullum formae ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ exemplum extet, quae apud Lucianum demum et Petronium occurrit. rarior in prima sede usus est ditrochaei, cuius proprius locus est pes tertius. de formis quae dicuntur irrationalibus iam disputavimus. in pede altero solutiones quam maxime vitantur ac plerumque purus ionicus adhibetur vel integer ditrochaeus. alteram versus partem creberrimo usu ditrochaei differe a priore iam diximus. ionicum irrationalem in tertio quoque pede admissum esse videmus, sed raro (n. 7, 4, item 18, 13). nolebant enim poetae versum progredientem retardare forma irrationali (– – ⏑ –) in versus clausula collocata. sed quo facilius perspicias quae sit pedum singulorum condicio iam quaeso tabulam inspicias hic subiectam:

pedum formae	pes I	pes II	pes III
– – ⏑ ⏑	12	13	5
⏑ ⏑ – ⏑ ⏑	4	—	—
⏓ ⏑́‿⏑ ⏑ ⏑	2	1	2
⏓ ⏑ ⏑́‿⏑ ⏑	—	—	2
– – ⏑ –	—	—	1
– ⏑ – ⏑	2	5	10
– – – ⏑	—	1	—

Quodsi haec quae observavimus sub uno conspectu composuerimus, videbimus undecim versus integris pedibus incedere, in decem versibus solutiones inesse ita, ut octo unum pedem solutum, duo binos pedes vario modo solutos contineant. solutiones maxime in prima sede occurrunt, altera contra plerumque pura servatur, in tertia ditrochaei adparent ita, ut numerorum progressus initio celerior sit, postea tardior. atque hanc rationem ceteros quoque poetas amplexos esse ex eis quae mox disputabimus adparebit.

Videmus porro Sotadem eosque qui eum proxime secuti sunt minime probasse syllabarum et pedum schemata (veluti – – ⏑ ⏑ vel – ⏑ – ⏑) in unum incidere eaque res quominus fieret impedire studuisse. verba quaternarum syllabarum plerumque implent aut ionicum a minore aut choriambum, velut *θηροφόνον λογχίδ', τρυμαλιήν, δενδροφόρου, χρυσοφόρων, ἱστοριῶν* (cf. *ἀποστεγάσας*), *βαθυκόλπων, τερατουργεῖς, ἐσακοῦσαι.* conferas verba quae unius dipodiae ambitum excedunt, velut *τερπικέραυνον* – ⏑ ⏑ – ⏑), semel tantum dipodia trochaica uno verbo formatur *ἐξέωσε* (– ⏑ – ⏑) in tertia sede (n. 5, 2). nimiam quoque syllabarum brevium cumulationem invenustam visam esse his poetis colligitur.

Quod ad verborum pedumque ictuum concentum adtinet, in universum tenendum est in versibus sotadeis eum maiorem esse pro natura huius metri quam in alius generis versibus. accedit quod aetatis posterioris poetae omnino talem congruentiam inter verborum et metrorum ictum magis adpetiverunt quam antiquiores. in his, de quibus agitur, versibus semper fere accentus uterque incidit in unam eandemque syllabam, si arsis longa in duas breves soluta est; cf. *κέχυται ἐπὶ* (⏑̋⏑ – ⏑ ⏑) n. 7, 4, *τίνα τῶν* (⏑̋⏑ –) n. 1, *ὁ δ' ἀποστεγάσας* (⏑̋⏑ – ⏑ ⏑ –) n. 5, 1, etiam si altera ionici arsis soluta est, haec congruentia observatur: *ἱστοριῶν θέλετ' ἐσ.* (– ⏑ ⏑ | –̋, ⏑́⏑, ⏑ ⏑) n. 1, *Ἑλλάδος* (–̋ ⏑́⏑, ⏑ ⏑) n. 13, 3, *πυραῖς νέκυες ἔκειντο* (⏑ –̋, ⏑́⏑ ⏑ ⏑ | – ⏑) n. 13, 1, *ἠλέματον* (–̋ ⏑́⏑ ⏑, ⏑) n. 5, 3, *τὰν χάρισι* (–̋, ⏑́⏑ ⏑, ⏑) n. 7, 4, *ἐφοβεῖτο, τὸ δ' ἔτεκεν* (⏑ ⏑ –̋ ⏑, ⏑́⏑ ⏑ | –) n. 12; in uno versu n. 13, 2 haec regula neglecta esse videtur: *τείχεα προλιπόντες* (–̋ ⏑ ⏑́⏑ ⏑ – ⏑). non eadem diligentia adhibita est in versibus a Stobaeo citatis in hac re. in XXII enim versibus hunc amborum ictuum consensum invenimus longis solutis, contra in XV eum desideramus.

Ex ea re ipsa, quod in his omnibus sotadeis ambo arsibus solutis ictus magis in priore quam in altera arsi in unum incidunt, concludere licet poetas priorem arsim principalem esse voluisse. sed eo quod in initio versus prior longa ionici saepius solvi soleat minime efficitur alteram arsim principali ictu instruendam esse, id quod Butzer voluit, qua de re iam in primo capite p. 134 egimus. patet autem poetas in

primo pede arsim priorem iure saepius solvisse, ut duritatem quandam tollerent, quae inde nascitur, quod binae longae in primo pede non ita ut in ceteris pedibus habent quicquam ad quod se adplicent.

Sed etiam non solutis arsibus Sotades quique eum proxime secuti sunt ictum metricum cum verborum accentu congruere passi sunt. atque in universum statuere licet eos minus in pede altero quam in ceteris hanc congruentiam admisisse; in prima enim sede undecies, in altera decies, in tertia quater decies reperitur. in Ennii Accii Petronii Terentiani versibus eandem rationem adhibitam esse animadvertemus. sed in primo maxime pede ambo ictus in unum concidunt, rarius in altero, paulo plura concentus exempla tertius pes praebet, sed non tot, quot primus. veluti apud Ennium inter singulos pedes has rationes intercedere videmus: 4 : 2 : 3, apud Accium: 14 : 8 : 11. in decem corpusculi, de quo nunc agimus, versibus quarti pedis prior longa verbi quoque accentu instructa est. unde colligas poetis eum locum non tam magnae curae fuisse. inter versus a Stobaeo adlatos XXV in fine amborum ictuum concentum habent, in Luciani versibus VIIII, in Moschionis IIII. sed in arsibus secundariis quoque persaepe ictus metricus simul est verbi accentus, atque in hoc corpusculo in primo pede octies, in altero octies, in tertio novies. minor igitur in his arsibus congruentia est quam in principalibus. atque ita quoque res se habet in versibus a Stobaeo adlatis, in carmine Moschionis, in versibus Accii. apud Varronem fere pares sunt in hac re arsis principalis et secundaria. contra in versibus Luciani Ennii Petronii Terentiani longe frequentior est consensus ictuum in arsibus secundariis. sed hoc memorabile est certam proportionem inter tres pedes, quod ad consensum amborum ictuum in arsibus secundariis adtinet, non ita inveniri ut in arsibus primariis. in his autem Sotades quique cum eo coniuncti a nobis adferuntur hunc consensum ita instituerunt, ut in XI versibus inter tres pedes priores bis adpareat, in VI versibus semel, in duobus ter tantum, denique in duobus versibus omnis ictuum consensus desit. eadem ratione ceteri quoque poetae ducti sunt; itaque in plurimis uniuscuiusque versibus semel vel bis congruunt verborum et versus ictus in arsi principali. minor est eorum versuum numerus, in quibus aut in trinis pedibus ambo ictus concidunt aut omnino non adest congruentia. vitabant igitur poetae nimis frequentem consensum ictuum principalium cum verborum accentibus, sed difficile sane fuit eum concentum prorsus effugere. maxime diligentes in hac re sese praestiterunt Lucianus et Petronius, quorum plurimi versus aut in uno tantum pede ictuum binorum congruentiam ostendunt aut prorsus ea carent.

Quodsi arses secundae partim saepius partim rarius accentum verbi simul continent neque ictuum consensus in eis tam certa proportio est

quam in prioribus arsibus, quae maxime in prima sede simul accentum verbi habent, minus in secunda et tertia, si ergo in arsibus prioribus magis ictuum collisionem curabant poetae quam in arsibus alteris, sequitur priorem arsim simul primariam vel principalem a poetis habitam esse. vides igitur hac explicatione errorem fatalem sublatum esse, ad quem divulgandum H. Butzer Iulium Caesarem secutus contulit, ionici alteram longam ictu principali instructam fuisse.

In Sotadis eorumque quos ei adiunximus versibus gravissima verba praecipue hoc principali syzygiarum ictu contineri neminem fugiet; cf. *καλὸν τὸ πρόσωπον, ἀλλὰ κόσμιον πεφύκει* n. 6, 3, *ἠλέματον, ὀκοίην ἀροτὴρ γέρων χαλᾷ βοῦς* n. 5, 3, *βλαστεῖ δ' ἐπὶ γῆς δένδρεα παντοῖα φύοντα* n. 10, *ἥβην τ' ἐρατὴν καὶ καλὸν ἡλίου πρόσωπον* n. 13, 4, *Ἑλλάδος ἱερῆς καὶ μυχὸν ἑστίης πατρῴης* n. 13, 3, *ὤδινεν ὄρος, Ζεὺς δ' ἐφοβεῖτο, τὸ δ' ἔτεκεν μῦν* n. 12. in hac re vituperandus est versus *τὴν μῆνιν ἄειδε μοῦσα τὴν Ἀχιλλέως μοι* n. 8, ubi ictus in verba minoris momenti cadunt.

Iam ut de exitu quoque versuum disputemus, statuere licet Sotadem eiusque adseclas exitum monosyllabum non amasse, nisi quid ea re ipsa efficere vellent; cf. *χαλᾷ βοῦς* n. 5, 3, *τὸ δ' ἔτεκεν μῦν* n. 12.[1]) excusari potest talis exitus in versu: n. 8 *Ἀχιλλέως μοι*, ubi verbum ultimum natura sua encliticum est. deinde observes quaeso hos poetas, si versus in trisyllabam vocem exeant, abstinere verbis molossicis vel bacchicis (–|–– ⏓). immo prima talis verbi syllaba brevis esse debet (⏑|– ⏓).

Nunc ad caesuram me converto. quam cum sotadeus ex binis dimetris compositus sit, in altero pede ultimo intercedere expectes (– – ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑‖– ⏑ – ⏑ – –). sed talem caesuram, si ionicus in pede altero positus sit, naturam artis metricae Graecorum respuere iam supra diximus. ac re vera in VI tantum versibus corpusculi, de quo agitur, in pede altero ultimo simul verbum terminatur. id quod de ceteris quoque sotadeis Graecis valet, in quibus rarius pes alter verbo clauditur. alio igitur versus loco caesura in sotadeis Graecis quaerenda est. iam si respicimus eos versus, qui anaclomenos continent, haec caesura potius postulanda est in medio pede altero (– – ⏑ ⏑|– –‖⏑ ⏑|– – ⏑ ⏑|– –). ac profecto in V versibus eam observare licet: *χῶς παῖς πόκα πότνα* ‖ *σ. ἐ. ἀ. τ.* n. 11, *Ἥρην ποτὲ φασὶν* ‖ *Δ. τ. τ.* n. 3, *ἠλέματον ὀκοίην* ‖ *ἀ. γ. χ. β.* n. 5, 3, *ὤδινεν ὄρος Ζεὺς* ‖ *δ' ἐ. τ. δ' ἐ. μ.* n. 12, *Ἑλλάδος ἱερῆς καὶ* ‖ *μ. ἑ. π.* n. 13, 3. in pede autem altero ultimo caesuram habent ii versus, quorum in sede altera ditrochaeus pro ionico positus est, cuius rei habes VI

[1]) Butzer p. 18 hunc versum ita legit: – – ⏑ ⏑|– – ⏑ ⏑|– – ⏑ ⏑|⏑ ⏑ – (*ἐφοβήθη*), sed eiusmodi exitus omni rationi repugnat. deinde quam molesta est haec brevium dispositio: *ἔ/τεκε μῦν*.

exempla. sed animadvertimus etiam in nonnullis versibus binas caesuras, quas in ceteris quoque sotadeis saepissime invenimus post priorem longam pedis alterius et tertii (– – ⏑ ⏑ –‖– ⏑ ⏑ –‖– ⏑ ⏑ – –). quae caesurae in IIII versibus extant ita, ut alteri incisioni in omnibus antecedat verbum choriambicum, cf. *τίνα τῶν παλαιῶν* ‖ *ἱστοριῶν* ‖ *ϑ. ἐ.* n. 1, *κέχυται ἐπὶ τὰν* ‖ *χάρισι φίλαν* ‖ *π. κ. κ.* n. 7, 4, *εἰς οὐχ δσίην* ‖ *τρυμαλιὴν* ‖ *σ. κ. ὠ.* n. 4. in IIII versibus incisio legitima neglecta videtur; nam caesura vicaria facta est in eis post priorem arsim pedis alterius (– – ⏑ ⏑ –‖– ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ – –). unus extat versus, in quo vicaria incisio est post priorem tertii pedis longam: *ἐνϑ' οἱ μὲν ἐπ' ἄκραισι πυραῖς* ‖ *νέκυες ἔκειντο* n. 13, 1.

Restat ut addam n. 1 in verbo *παλαιῶν* syllabam alteram corripi et n. 7, 4 hiatum (*κέχυται ἐπὶ*) admissum esse.

Nunc disputemus de sotadeis, qui in Stobaei florilegio leguntur. in his schematum frequentissimum est hoc, quod omnes poetae in sotadeis componendis ceteris praetulerunt: – – ⏑ ⏑ | – – ⏑ ⏑ | – ⏑ – ⏑ | – – (in versibus XVI), proxima, si numerum spectas, haec: – – ⏑ ⏑ | – ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ | – – (in versibus X), – ⏑ – ⏑ | – – ⏑ ⏑ | – ⏑ – ⏑ | – – (in versibus X), denique – ⏑ – ⏑ | – – ⏑ ⏑ | – – ⏑ ⏑ | – – (in totidem versibus). quibus adicias hoc schema: – – ⏑ ⏑ | – – ⏑ ⏑ | – – ⏑ ⏑ | – –, quod in septem versibus invenitur. rariora sunt haec: – ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ | – – (in IIII versibus), – – ⏑ ⏑ | – ⏑ – ⏑ | – – ⏑ ⏑ | – – (in tribus), denique – ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ | – – ⏑ ⏑ | – – (in uno)[1]) n. 14, 6.

Quodsi pedes singulos spectamus, qui in his versibus LXI usurpati sunt, mira quaedam varietas nobis conspicua fit. etenim praeter pedes in corpusculo, de quo modo exposuimus, usitatos: – – ⏑ ⏑, (⏑ ⏑ – ⏑ ⏑), –́ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑, – ⏑ – ⏑ reperimus etiam ditrochaeum solutum in arsi priore (⏑́⏑⏑ ⏑ –́ ⏑), deinde molossum: – – –; inprimis autem notandus est creber usus formarum irrationalium earumque variarum (– ⏑ – –, – – – ⏑, – – ⏑ –, ⏑ ⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ – – ⏑). harum ultima forma ne apud Accium quidem adparet, qui liberrime sotadeos suos composuit. item frustra quaeras alibi hanc ionici a maiore formam miro modo variatam ⏑ ⏑ – – (⏑́⏑ – ⏑⏑), quae alibi non legitur. quod ad pedum ionicorum et ditrochaeorum usum adtinet, hi versus paene eandem speciem praebent ac plurimi sotadei ceterorum poetarum. in prima enim sede potissimum ionicum reperies eiusque solutiones frequentius admissas[2]) quam in ceteris pedibus. ditrochaeum solutum in sede prima habes quater adhibitum, semel hac forma ⏑ ⏑ ⏑ – – instructum (n. 14, 4), praeterea schema – ⏑ ⏑ ⏑ ⏑. ionicum a minore ⏑ ⏑ – – in tribus versibus eumque solum in sede prima, ditro-

[1]) Hoc Westphal omnino in usu fuisse negat., haud recte; redit enim hoc iterum apud Moschionem et Accium. sed eius usum rarissimum fuisse sane concedendum est.

[2]) Semel mensura ditrochaica adhibita est n. 18, 6 *κἂν ἐπὶ τὸ μέγιστον*.

chaeum irrationalem in prima sede semel n. 14, 6. haud rarus est ditrochaei usus (ter decies enim legitur) in pede primo; neque irrationalis ditrochaeus abest ab hoc loco neque ionicus. in sede altera habes ionicum purum longa priore semel soluta (formae – ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ reperies V exempla, ex quibus tria vere ditrochaica sunt), deinde ditrochaeum, denique molossum, qui est huius pedis proprius. in tertia sede ceteros pedes superat ditrochaeus integer, ita tamen ut eius forma irrationalis et soluta minime excludatur. minor numero est ionicus plerumque integer, semel in priore arsi solutus. singulares sunt ionici irrationales – – ⏑ –.[1]) sed vide quaeso tabulam adpositam, qua de hac re melius quam longiore explicatione edoceberis.

pedum formae	pes I	pes II	pes III
– – ⏑ ⏑	18	21	13
⏑ ⏑ – ⏑ ⏑	8	1	1
″ ⏑́⏑ ⏑ ⏑	5	2	4
″ ⏑ ⏑́⏑ ⏑	1	3	4
– – –	—	7	—
⏑ ⏑ – –	3	—	—
– – ⏑ –	3	9	1
– ⏑ – ⏑	13	12	28
⏑ ⏑ ⏑ – ⏑	3	—	6
⏑ ⏑ ⏑ – –	1	—	—
– ⏑ – –	—	—	1
– – – ⏑	5	6	3
⏑ ⏑ – – ⏑	1	—	—

In his ergo versibus sat magna licentia in pedibus constituendis animadverti potest, cum hic pedum figurae inveniantur, quas ceteri poetae a versu sotadeo omnino arcebant, velut ⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ – – ⏑. Butzer quidem de Paeonicis adeo formis (– ⏑ ⏑ ⏑) hariolatus est, cum corruptam codicum lectionem n. 14, 7; 17, 13; 18, 4 et 8 sine ulla dubitatione recepisset, quibus locis facillime ionici (– ⏑ ⏑ ⏑ ⏑) restitui poterant. unde scriptura *πεποίηκεν* (n. 18, 5) probata his sotadeis vindicavit tale monstrum, ditrochaeum – ⏑⏑̄ – ⏑ thesi irrationali soluta.

Hoc loco aptum esse mihi videtur inquirere, quatenus in pedibus irrationalibus admittendis hi versus ab aliis sotadeis recedant. ac pri-

[1]) N. 17, 7 non est mensura haec – ⏑ ⏑ ⏑ –, sed – ⏑ ⏑ ⏑ ⏑, cum *οι* in *ἐποίησαν* corripiatur.

mum satis clarum est in his versibus formas irrationales potissimum in sede altera occurrere, in qua omnino longae syllabae pedesque contracti, velut molossus, praeferebantur. inter eos autem inprimis accepti erant ditrochaeus: – – – ⏑ et ionicus: – – ⏑ –. ii vero in his versibus in pede tertio plerumque vitati sunt, ne numerus in versus clausula nimis retardaretur. mirum praeterea est ionicum irrationalem (– – ⏑ –) tam saepe admissum esse, quamquam is ab Accio etiam et Varrone rarissime usurpatus est neque usquam porro reperitur apud Latinos. nec minus memorabile contra ditrochaeum (– ⏑ – –) magis hic contemni quam ab Accio, qui eum frequentissime adhibuit, Varrone, Terentiano Mauro, qui eum libenter in sede tertia collocaverunt. formam autem – – – ⏑ hic haud alia ratione adhibitam esse quam a ceteris postea cognoscemus.

In his sotadeis pauciores sunt versus, qui pedibus integris incedunt quam qui solutionibus variati sunt. in XXV versibus non inveniuntur solutiones, XXVIIII versus unum, VII binos continent pedes solutos. maior igitur in his quam in eis de quibus modo egimus numeri est motus, quorum in parte maiore pedes sunt integri. apud ceteros, si Luciani sotadeos excipias, aequa est ratio versuum, qui integris quique variatis pedibus incedunt ac numeros magis sedatos ostendunt. simul in versibus a Stobaeo adlatis neglegentia quaedam conspicua est; nam qui eos composuit senas vel adeo septenas syllabas longas continuavit; cf. *ἴσον ἔχουσιν αὐτῶν αἱ ψυχαὶ τὸ μεριμνᾶν* v. 15, 7, *ξένος ὀφείλεις εἶναι τῶν οὐ καλῶς φρ.* n. 14, 4, quae res sane tolerabilis esset, si poeta graviorem quandam sententiam proferre voluisset. contra nimia brevium cumulatio ei vitio verti non potest. ceterum de brevibus syllabis hanc legem observatam esse animadvertimus: si complures breves syllabae concurrunt, quae pedum diversorum sunt, hoc significatur ita, ut prior pes semper verbo, in quo una vel plures brevium sunt, terminetur. hanc legem secutus est poeta in his versibus n. 14, 9; 15, 5; 17, 3 et 11; 18, 7; 20, 1; cf. *ἡσυχίαν κατὰ βίον | ἵνα πάντοτε τ.* (–, ⏑ ⏑, ⏑ ⏑, | ⏑ ⏑, – ⏑ ⏑), *εἰ πενιχρὸς | ἐς ὅσον* (– ⏑ – ⏑ | ⏑ ⏑ ⏑), *γαῖαν τά γε | κακὰ* (– – ⏑ ⏑ | ⏑ ⏑), *κώνειον | ὅτι πιών* (– – – ⏑ | ⏑ ⏑ ⏑ –), cf. haec exempla – ⏑ – ⏑ | ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑, – – ⏑ ⏑ | ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑. neque ceteri poetae ab hac norma recesserunt. cavebat porro poeta, ne tota syzygia uno verbo impleretur. itaque verba quaternarum syllabarum vel plurium plerumque ita disposuit in pedum syllabis: *παντογενής* n. 17, 1 (– ⏑ ⏑ –), cf. *χρυσοφορῇς* n. 16, 4, *σωφροσύνη* n. 16, 8, *φλεγματίῳ* n. 16, 2 vel sic: *ἀλυπία* n. 18, 10 (⏑ – ⏑ –), cf. *ἀλαζονῇς* n. 16, 6, *πεποίηκεν* n. 17, 9 (⏑ ⏑ – –), *πουλύποδα* n. 17, 12 (– ⏑ ⏑ ⏑, ⏑), *ἀδικούμενος* n. 20, 1 (⏑ ⏑ – ⏑ –), *ἀδικοῦντι* n. 20, 1 (⏑, ⏑ ⏑ – ⏑), *γεγόναμεν* n. 18, 11 (⏑ ⏑ ⏑ ⏑). sed in tribus versibus uno vocabulo pes huiusmodi comprehenditur: – – – ⏑ (*αὐτάρκεια* n. 19, 3), ⏑́⏑ – – (*ὑγιαίνειν* n. 14, 10), – ⏑ – ⏑ (*ἠθέλησαν* n. 17, 5).

Quod ad consensum numeri et verborum ictus in arsibus principalibus adtinet, hi versus conspirant cum sotadeis Moschionis et Varronis, qui in primo pede permulta exempla eius consensus praebent; in pedibus sequentibus autem minor est exemplorum numerus. in florilegii Stobaeani versibus quadragies ter consentiunt verbi et pedis accentus in prima sede, quadragies semel in altera, tricies semel in tertia. in altera arsi consensus est haec in singulis pedibus ratio: 29 : 33 : 33. minus diligenter arses solutae tractatae sunt, cum ea ictuum congruentia hic magis desideretur quam in ceteris sotadeis. vides eam neglectam esse his locis: *ῥᾶγα φαγών* n. 17, 14, *ὑγιαίνειν* n. 14, 10 (⏖́ – –), *Σοφοκλῆς* n. 17, 14, *παρατήρει* n. 14, 6 (⏖́ – –́ ⏑, ⏖́ – –), *ὑπὸ τοῦ γενν.* n. 17, 8, *ἀνέχεται* n. 20, 2 (⏖́ ⏑ –́, –), *διὸ φέρει* n. 20, 2, *τά γε κακά* n. 17, 3, *ἀγαθὸς εὐφυής* n. 18, 1 (⏖́ ⏑, – ⏑ ¦ –). contra conferas (⏖́ –́ ⏑ ⏑), *ἵνα πάντοτε* n. 14, 9, *κύνες οἱ κατά* n. 17, 15, *ὁ πένης ἐλεεῖται* n. 19, 1, *ὁ μέσος* n. 19, 2, *ὅτι πάντες ὅσοι* n. 17, 5, *νόμος ἐστὶ θεός* n. 14, 3, *μέγας ἐστὶ τεχν.* n. 18, 5, *ὅτι πιὼν τεθν.* n. 17, 11 (⏖́ ⏑ –́ ⏑) *ἴσον ἔχουσιν* n. 15, 7, *ξένος ὀφείλεις* n. 14, 4.

Quamquam locorum, in quibus consensus extat, maior est numerus, in totidem fere versibus is concentus ictuum non reperitur, quem tamen adpetivisse poetas in arsibus solutis docemur ceteris sotadeis. ceterum neque Terentianus Maurus in hac re elegantiorem se praestitit. certe apud eum in ultimo semipede XXV versus eo concentu instructi sunt.

Exitus versuum quattuor locis monosyllabus est n. 14, 10. 15, 6. 18 1, et 2. molestus sane et invenustus, cum quid ea re efficiatur non intellegas, XXV locis bisyllabus legitur praecedente brevi syllaba, in duobus tantum versibus longa, in XXVIII trisyllabus (⏑ – ⏓, numquam – – ⏓) in binis tetrasyllabus (– ⏑ – –, ⏑ ⏑ – ⏑); praeterea versus extat, qui in verbum VI syllabarum exit: *κατεδαπάνησεν* n. 17, 16.

Denique dicendum est de caesura. frequentissima est incisio in medio pede altero post alteram longam ionici (sive molossi)[1]) – – ⏑ ⏑ ¦ – – ¦ ⏖ | ⏓ ⏑ ⏓ ⏑ | – –. qua caesura versus dirimitur in duas sat aequales partes ita, ut anaclomenus separetur. huius incisionis exempla inveni XXIIII. versus XVIII caesuram habent in pede altero ultimo (– – ⏑ ⏑ | – ⏑ – ⏑ ‖ – – ⏑ ⏑ | – –), sed in his alterum locum semper obtinet ditrochaeus vel haec ionici forma irrationalis: – – ⏑ ⏑, semel tantum molossus n. 17, 6. nam inde, quod in sede altera haec forma saepius legitur cum diaeresi, elucet caesuram hoc etiam loco esse posse, non autem tolerari eam, si purus ibi ionicus positus sit (– – ⏑ ⏑). in XV versibus duae incisiones

[1]) Semper caesura, de qua agitur, observata est, si molossus in sede altera positus est; cf. p. 140.

statuendae sunt, quarum una est post priorem longam secundi, altera post priorem longam tertii pedis: – – ⏑ ⏑ – ‖ – ⏑ ⏑ – ‖ – ⏑ ⏑ – –. in V versibus legitima eaesura neglecta esse videtur: *Αἰσχύλῳ γράφοντί | τι ἐπιπέπτωκε χ.* n. 17, 13 (– ⏑ – ⏑ | – ⏑ ‖ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ | – – ⏑ ⏑ – –), *οὐ καλῶς βιοῖς ‖ παράμενε κ. τ. π.* n. 14, 5 (– – – ⏑ | – ‖ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ | – ⏑ – ⏑ – ⏑), *δεῖ τὸν φύσει νικώμενον ἄδικον αὐτὸν εἰπεῖν* n. 18, 7 (– – ⏑ – | – – ⏑ ⏑ ‖ ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ | – –), *τὴν ἡσυχίαν κατὰ βίον ἵνα π. τ.* n. 14, 9 (– – ⏑ ⏑ | – ‖ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ | ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ | – –), *ὑπὸ τοῦ γεννήτορος κόσμου κακῶς παθόντες* n. 17, 8 (⏑ ⏑ – – | – ⏑ – ‖ ⏑ | – ⏑ – ⏑ | – ⏑). locum eius hic obtinet ineisio vicaria. in omnibus autem his eaesuris, quas protulimus, animadverti potest partes versuum ea diremptas etiam interpunctione dividi posse itaque pausam ut ita dieam intercedere; cf. *ὁ πένης ἐλεεῖται, ‖ ὁ δὲ πλούσιος φθονεῖται* n. 19, 1, *μέγας ἐστὶ τεχνίτης, ‖ ἀτυχῆ πεποίηκ' αὐτὸν* n. 18, 5, *εὐσεβής τίς ἐστιν, ‖ πενίαν δέδωκεν αὐτῷ* n. 18, 4, vel: *καὶ τὸ μὴ παρὸν μὴ θέλειν, ‖ οὐδὲ γὰρ σόν ἐστιν* n. 15, 2, *παρατήρει τὰ πάντων καλὰ ‖ καὶ ταῦτα σὺ μιμοῦ* n. 14, 6, *ἢ μηχανικὸν ποίημ' ‖ ἢ σοφὸν μάθημα* n. 17, 6, *ἡ σωφροσύνη πάρεστιν, ‖ ἂν μετρῇς σεαυτόν* n. 16, 8, *εἰ καὶ βασιλεὺς πέφυκας, ‖ ὡς θνητὸς ἄκουσον* n. 16, 1, *ἀμφότερα μένειν οὐκ οἶδεν· ‖ ἕστηκεν γὰρ οὐδέν* n. 15, 3. cf. praeterea tales ineisiones, in quibus aperte sententia loci respicitur: *πῶς ἀναλύεται τὸ σῶμα ‖ πν. φυγόντος* n. 21, *τὸν θεῖον Ὅμηρον | λιμὸς κατεδαπάνησεν* n. 17, 16 (– – ⏑ ⏑ – – ‖ – – ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑). in nonnullis autem versibus eaesura non eae dividuntur partes, quae, si sententiam loci respicias, disiungendae sunt.

Iam veniamus ad Luciani sotadeos sat elegantes. schematum usitatorum haec quattuor adhibuit: – – ⏑ ⏑ | – – ⏑ ⏑ | – ⏑ – ⏑ | – – (in versibus IIII), – – ⏑ ⏑ | – ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ | – – (in totidem versibus),

– – ⏑ ⏑ | – – ⏑ ⏑ | – – ⏑ ⏑ | – –, – ⏑ – ⏑ – – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ | – –

(in binis). vides autem Lucianum in pedibus eligendis cautum se praebuisse. abstinuit enim formis irrationalibus et contractis; solutiones magis praetulit easque ita, ut etiam praeter usitatas adhiberet has ionici vel ditrochaei formas: ⏑́⏑ ⏑́⏑ ⏑ ⏑, ⏑́⏑ ⏑ ⏑ ⏑́⏑ ⏑. forma vero ⏑́⏑ ⏑ ⏑ ⏑ apud eum semper ionica est, eam quam his numeris significo: ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ in prima tantum sede admisit. in ionico et ditrochaeo adhibendis cum ceteris fecit; ionicum integrum saepius in priore versus parte posuit, ditrochaeum in altera. in prima sede recepit ionicum integrum et solutum (haec soluti forma ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ in ceteris non conspicitur). ditrochaeum integrum in primo pede non admisit, semel adhibuit solutum (⏑́⏑ ⏑ ⏑́ ⏑). omnino in prima sede maxime variavit formas solutas. magis integrum servavit pedem alterum; bis tantum in eo hanc formam – ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ invenies, ditrochaeus autem solutus non reperitur. tertia sedes, id quod apud ceteros quoque videmus, insignis est ditrochaeo, et integro et

soluto; bis tantum hoc loco occurrit ionicus. sed iam quaeso adspicias tabulam adiectam.

pedum formae	pes I	pes II	pes III
– – ⏑ ⏑	3	6	2
⏑ ⏑ – ⏑ ⏑	3	—	—
″ ⏑́⏑ ⏑ ⏑	3	2	—
⏑̋⏑ ⏑́⏑ ⏑ ⏑	1	—	—
⏑̋⏑ ⏑ ⏑́⏑ ⏑	1	—	—
– ⏑ – ⏑	—	4	6
⏑ ⏑ ⏑ – ⏑	1	—	4

vides igitur Lucianum a ceterorum poetarum consuetudine non recedere. sed proprium eius est, quod hi pauci versus excellunt mira varietate ac motus quodam vigore, quae res magno solutionum numero efficitur. egregie igitur vim grassantem morbi poeta depinxit. duo tantum sunt versus, qui omnibus pedibus puris incedunt, in quinque versibus binos pedes habes solutos, in duobus unum. rationem quoque illam, de qua p. 168 exposuimus, in brevibus concurrentibus disponendis, quae ad diversos pedes pertinent, diligenter secutus est; dispertivit eas verbi terminatione in priore pede ultimo; cf. *οὐχ αἷμα λάβρον προχέομεν ἀποτομαῖς σιδάρου* (– – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ‖ ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑) n. 23, 1, *κόσσυφος ἐπὶ κλάδοισιν* (– – ⏑ ⏑ ‖ ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑) n. 23, 6, *δεδυκὼς ὑπὸ μυχοῖσι* (– ⏑ – ⏑ ‖ ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑) n. 23, 8, *πόνον ἀποφυγεῖν* (⏑ ⏑ ‖ ⏑ ⏑ ⏑ –) n. 23, 12. numeri autem et verborum pedes quam maxime separantur ita, ut semel tantum ionicus tetrasyllabo verbo comprehendatur: *σιτούμεθα* (– – ⏑ ⏑). novem versus verbis binarum syllabarum finiuntur, tres verbis ternarum (*σιδάρου*, *κελεύσῃ*, *μαλάσσει* vv. 23, 1, 11, 12). numerorum et verborum ictus congruentes habes magis in solutis arsibus quam in non solutis. in prima sede IIII versus talem concentum exhibent arsi soluta, in altera et tertia sede contra non soluta arsi duorum ictuum congruentiam praebent singulares versus *μέχρις ἂν ἡ θεὸς τὸν πόνον* et *ἔσθει, νέμεται, φλέγει, κρατεῖ, πυροὶ, μαλάσσει.* arsi soluta X locis haec congruentia neglecta, IIII tantum observata est. hac re ergo proprietas quaedam Luciani sotadeorum continetur. in versu ultimo congruentiam illam VIIII loci exhibent.

Caesura legitima non invenitur, eius loco extant duae illae incisiones, quas in ceteris sotadeis Graecis cognovimus: – – ⏑ ⏑ ‖ – ⏑ ⏑ – ‖ – ⏑ ⏑ – – (in VIII versibus), duo versus habent caesuram in medio pede altero *οὐδ' ὠμὰ λακιστὰ* ‖ *κρέα σ. τ.* et v. *μέχρις ἂν ἡ θεὸς* ‖ *τὸν πόνον ἀ. κ.*, unus in pede altero ultimo, in quo est ditrochaeus: *ἀφανές*,

κρύφιον, δεδυκὸς ‖ *ὑπὸ μ. γ.*, n. 23, 6: *καὶ πολυκέλα|δος* ‖ *κόσσυφος ἑ. κλ. ᾄ.* post priorem longam pedis secundi incisionem habet. denique in omnibus Luciani sotadeis pes primus verbo non terminatur.

Restat, ut de Moschionis carmine agamus, quod VIIII sotadeos complectitur. schemata huius versus extant in eis sex, desunt haec: – ◡ – ◡|– ◡ – ◡|– ◡ – ◡|– – et – ◡ ◡ – ◡ – ◡|– – ◡ ◡|– –. versus maximam partem integros esse primo obtutu adparet; nam usus est Moschio potissimum ionico et ditrochaeo integro. contra Puchsteinium, qui septem morarum figuras: – ◡ – –, – – – ◡ inveniri negavit p. 11, dicendum est in v. 5 *ἵνα δὲ μὴ μακρὴν* . . . primum pedem esse ditrochaeum irrationalem ◡́◡ ◡ –́ –, quae res fugit et Puchsteinium et Butzerum, qui praeterea p. 17 versus sexti pedem primum (*ὡς ἂν ἰσαρί|θμων*) ionicum esse statuit voculam *ἄν* tamquam syllabam longam mensus. sed pedem illum ditrochaeum esse, cuius altera longa soluta est (– ◡ ◡ ◡ ◡), neminem puto fugere potest. Puchstein porro erravit eo, quod in priore versus parte magis ditrochaeum, in altera magis ionicum locum habere opinatus est. sed quae sit pedum singulorum ratio ex tabula adiecta facile intellegitur.

pedum formae	pes I	pes II	pes III
– – ◡ ◡	3	6	4
– ◡ – ◡	4	3	5
◡ ◡ ◡ – –	1	—	—
–́ ◡ ◡́◡ ◡	1	—	—

Verborum et metrorum pedes ut distraheret, Moschio eo curavit quod verbis tetrasyllabis plerumque implevit ionicum a minore (◡ ◡ – –) vel dipodiam iambicam (◡ – ◡ –). in uno versu dipodia trochaica ex uno verbo constat: v. 8 *χειραγωγόν* (– ◡ – ◡). numeri et verborum ictuum maximus est consensus in prima sede (VII locis), minor in secunda (quinquies), minimus in tertia (ter). in versu ultimo is concentus quater invenitur. minor est duorum ictuum consensus in arsibus secundariis. duorum versuum pedes tres priores omnes ictuum congruentia insignes sunt. duo versus (2 et 9) verbo monosyllabo terminantur, quinque bisyllabo, unus (v. 3) tetrasyllabo, in quo versu *μὴ οὐκ* per synaloephen tamquam una syllaba pronuntiandum esse patet. in caesuris constituendis Moschio similem rationem secutus est ut Lucianus. in tribus versibus, ubi ditrochaeus positus est in pede altero, incisionem videmus in pede altero ultimo. ceterum cum caesura ponenda sit post priorem pedis secundi longam, cui respondeat altera post priorem pedis tertii longam, eiusmodi cae-

surae in quattuor tantum versibus observatae esse videntur. nam in v. 3 caesuram post verbum εὔγνωστα statuendam esse puto (– – ⏑ ⏑ – – ⏑ ‖ ⏑ – – ⏑ ⏑ – –); in versu primo est quidem in pede secundo medio incisio, sed eodem iure ea statui potest post syllabam antecedentem; priore enim caesura distrahitur coniunctio εἰ a reliquis enuntiati, quod ea inducitur, verbis. in versu 5 item duplicem caesuram praefero illi in sede secunda media positae. reicienda ergo Puchsteinii est sententia, qui omnes novem versus caesuram penthemimerem (v. 3 in voce composita εὔγνωστα) exhibere contendit (– – ⏑ ⏑ – ‖ – ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ – –). nam primum magna offensio inest in caesura v. 3 εὔ|γνωστα minime necessaria, deinde in incisionibus vv. 2, 4, 9, ubi molestissime dividerentur ἐφ' ἣν . . . τέθεικε, εἰ . . . πύθοιο, τῷ . . . θέλοντι.

Nunc ad sotadeos Latinos transeamus, in quibus primo loco commemorandae sunt Ennii reliquiae. extant autem quattuor tantum versus perfecti, ceterorum fragmenta modo nobis tradita sunt. ac de singulorum pedum formis ea quae ad rem faciunt facile cognoscentur ex hac tabella proposita:[1])

pedum formae	pes I	pes II	pes III
– – ⏑ ⏑	4	4	1
– – –	—	1	—
– ⏑ – ⏑	1	2	6
⏑ ⏑ ⏑ – ⏑	1	—	1

Verborum et metri pedes nusquam in his versibus in unum incidunt. verborum et metri accentus consentiunt in sede prima IIII versuum, in secunda duorum, in tertia trium. in arsibus secundariis is concentus etiam crebrior est. certe in arsibus principalibus poeta ictus ambos magis distrahere studuit, minus de hac re sollicitus in secundariis. caesura in tribus versibus n. 25; 29; 30, 2 observatur in medio pede secundo (n. 25 post alteram molossi longam), in pede altero ultimo semel admittitur (n. 27) ditrochaeo praegrediente. incisio n. 26, 28 ponenda est post priorem longam pedis secundi; respondet ei altera in sede tertia post priorem longam (cf. n. 28). in fragmento n. 31 caesura statuenda est in medio ditrochaeo pedis secundi (– ⏑ | – ⏑).

Minime elegantes sotadeos confecit Accius, quippe qui magnae licentiae speciem prae se ferrent. iam si schemata versus considerabimus, inveniemus duo maxime frequentari: – – ⏑ ⏑ | – – ⏑ ⏑ | – ⏑ – ⏑ | – – (in IIII

[1]) Breviter tangam ridiculum Butzeri errorem, qui p. 19 in versu n. 26 de paeone alucinatus est, cum in *rhetorica* *o* longam esse pronuntiandam non intellegeret

versibus) et – ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ | – – (in V versibus), contra deesse haec: – ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ | – – ⏑ ⏑ | – – et, quod a ceteris poetis omnibus usurpatur, – – ⏑ ⏑ | – – ⏑ ⏑ ‖ – – ⏑ ⏑ | – –. deinde magnam esse pedum formarum varietatem observabimus, id quod ex tabula quam adiecimus cognoscere licet.

pedum formae	pes I	pes II	pes III
– – ⏑ ⏑	5	4	1
⏑ ⏑ – ⏑ ⏑	—	—	1
″ ⏑́⏑ ⏑ ⏑	1	—	—
″ ⏑ ⏑́⏑ ⏑	—	1	—
″ ⏑́⏑ ⏑ –	—	—	1
″ ⏑ ⏑́⏑ ⏑	—	1	—
– – –	1	2	—
– – ⏑ –	1	1	—
– ⏑ – ⏑	1	1	3
– ⏑ – –	2	4	7
⏑ ⏑ ⏑ – –	1	—	3
– – – ⏑	2	2	1
– – ⏑ ⏑ ⏑	3	—	—

hanc igitur formarum proprietatem L. Mueller recte memorabilem esse dixit. sed Accii sotadei a ceteris magnopere eo quoque differunt, quod in eis rariores solutiones sunt, veluti ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑, – ⏑ ⏑ ⏑ ⏑, ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑, contra mira quaedam formarum irrationalium copia reperitur. adde in sede prima ionicum, qui semel tantum n. 32 solutus est, multitudine superari a ditrochaeo (haec enim inter eos intercedit ratio 8 : 9) atque adeo in hac sede semel n. 35, 2 molossum adhibitum esse, qui nusquam alibi a quoquam admissus est. habes praeterea ionicum ultima brevi producta n. 37, 2, ditrochaeum integrum semel n. 34, 2, irrationalem (– ⏑ – –) bis n. 39, 2 et 42, 2 (arsi soluta ⏑ ⏑ ⏑ – – semel n. 36, 2) eundemque hac forma – – – ⏑ bis n. 41 et 35, 3 (arsi altera soluta ″ – ⏑́⏑ ⏑ ter n. 38; 39, 1; 42, 3). abest autem a sede prima et altera haec ionici forma ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ saepissime apud ceteros usitata, itemque forma – ⏑ ⏑ ⏑ –. in pede altero ionici et ditrochaei par est numerus. atque ionicus solutus (– ⏑ ⏑ ⏑ ⏑) uno loco conspicitur n. 39, 1, itemque uno loco haec eius forma – – ⏑ – n. 36, 1, bis molossus (n. 42, 3 et 43), ditrochaeus semel integer n. 32 et semel hac forma instructus ″ ⏑ ⏑́⏑ – n. 34, 2, ditrochaeus irrationalis – ⏑ – – quater atque altera eius forma – – – ⏑ bis n. 36, 2 et 42, 2. tertium pedem potissimum obtinet ditrochaeus, sed rarius (ter tantum) integer quam ditrochaeus septem morarum – ⏑ – –, qui septies

legitur et praeterea ter solutus. semel (n. 42, 2) occurrit haec forma – – – ⏑. rarissimus est ionicus isque tribus formis compositus: – – ⏑ ⏑ n. 42, 2, ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ n. 42, 3, ⏒ ⏑́⏑ ⏑ – n. 32. abstinuit autem Accius in eo pede his formis – ⏑ ⏑ ⏑ ⏑, – – –, – – ⏑ –, – – ⏑ ⏑ ⏑, qua re fit ut grata illa desit in hoc loco varietas. rariores porro apud eum sunt hae formae: – – ⏑ ⏑ ⏑ et – ⏑ ⏑ ⏑ –. singularis plane est semipes solutus n. 37, 1 *temerius*, nisi forte maior in hoc versu est corruptela.

Accii sotadei cum rariores in eis solutiones sint et frequentiores formae irrationales, tardiorem habent incessum ac maxime ea res efficitur ditrochaeo septem morarum in versu ultimo collocato. duo tantum exempla inveni consensus verborum et metrici pedis n. 37, 1 et 42, 3 ⏑ ⏑ – –, – – – (*Euripidi'* | *qui*, *agroecus* | *neque*). deinde animadvertas velim Accium libenter verba longioris ambitus penultimo loco posuisse; cf. *sciciderat pectus*, *inimiciterque accensum*, *sapientiaeque invictae*, *excelsissimeique honore*, *condalium nec*, *poematorum Baebi*, *redhostiant responsum;* uno loco n. 42, 3 verbum quinque syllabarum (*commorientes*) ultimo loco positum est itemque uno loco n. 42, 1 exitus monosyllabus cernitur. duorum ictuum concentum invenimus in arsi principali pedis primi quattuordecies, secundi octies, tertii undecies; minor congruentia conspicitur in arsi secundaria, in qua quae inter singulos pedes ratio intercedat his numeris significari potest: 11, 10, 9. in arsibus, quae in binas breves solutae sunt, maxime metri et verbi accentus congruentia observata est. displicet autem n. 38 *baltea* (– ⏑́ ⏑), verbo dactylico in versu ultimo ictu in penultima instructo, quod in initio tantum versus offensionem non habet. aeque molestum est in altera arsi *actoribus*. legitimas caesuras Accius nonnumquam neglexit. in septem versibus n. 32. 33. 34, 1. 36, 1. 39, 2. 40. 43. caesura est in medio pede secundo, in quinque in pede altero ultimo n. 34, 2. 41. 42, 1 et 2 et miro modo n. 42, 3, ubi molossus invenitur. ab his caesuris usitatis recedunt eae quae leguntur n. 35, 2 – – – | – – ⏑ ⏑ ⏑́⏑ ⏑ – | – –, n. 39, 1. 36, 2. 38. ⏑ ⏑ ⏑ – – | – – – ‖ ⏑ | – – ⏑ ⏑ – –, n. 37, 1 ⏑ | – – ⏑ ⏑ | – ‖ ⏑ – ⏑ ⏑́⏑ ⏑. diaeresis neglecta non est in pede altero ultimo, n. 39, 2 – ⏑ ⏑ | ⏑ ⏑ ⏑ – –, ubi quinque breves, quae non ad eandem dipodiam pertinent, concurrunt.

E Varronis saturis Menippeis exclusis versibus plane mutilis sotadei XXI nobis supersunt. in quos ut accuratius inquiramus, ante omnia de singulorum pedum formis dicendum est. qua in re cum F. Buechelero facio, qui mus. Rhen. vol. XX p. 401 recte contra eos disputavit qui Varronem maiore varietate usum esse dixerunt. sed formis, quas enumeravit ille, – – ⏑ ⏑, ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑, – ⏑ ⏑ ⏑ ⏑, – ⏑ – ⏑, – ⏑ – –, addas velim has: – – – ⏑, quam in priore tantum versus parte Varro usurpavit,

– – ⏑ –, quae in prima sola sede semel invenitur, denique – – –, in sede altera bis adhibitam. sed vide quaeso tabulam, qua de rationibus, quas Varro secutus est in pedum formis adhibendis, facili negotio edoceberis.

pedum formae	pes I	pes II	pes III
– – ⏑ ⏑	7	13	5
⏑ ⏑ – ⏑ ⏑	3	1	1
" ⏑́⏑ ⏑ ⏑	5	—	4
" ⏑ ⏑́⏑ ⏑	1	—	—
– – –	—	2	—
– – ⏑ –	1	—	(1)
– ⏑ – ⏑	2	2	7
– ⏑ – –	—	1	3
– – – ⏑	1	1	—

ex hac tabula intelleges Varronem in pedum formis constituendis quasdam sibi leges imposuisse easque strenue secutum esse. etenim primum pedem maxime ionicum esse voluit eumque saepius quam in ceteris pedibus solutum. in sede altera item ionicum plerumque adhibuit, sed solutionibus maxime intactum, in tertia sede ditrochaeum. semel n. 52, 2 pedem – ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ditrochaeum esse iussit. ditrochaei autem solutiones in Varronis reliquiis non inveniuntur. formarum – ⏑ ⏑ – ⏑ et – – ⏑ ⏑ ⏑, quas Varroni falso vindicare voluit Riese, nullum certe apud eum vestigium est. ac prior eorum omnino est reicienda. neque occurrit in fragmentis Varronis ionicus bis solutus (⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑). iam cum ille artifex severus epitriti formam quartam (– – – ⏑) dedignatus non sit, non est profecto quod ea offendamur. ceteris formis irrationalibus parce usus est. atque haec compositionis aequabilitas in schematis quoque conspicitur. duo enim schemata ceteris praetulit, – – ⏑ ⏑ | – – ⏑ ⏑ | – – ⏑ ⏑ | – – et – – ⏑ ⏑ | – – ⏑ ⏑ | – ⏑ – ⏑ | – –, quorum prius quinque, alterum septem locis adhibuit. plane abstinuit talibus sotadeis: – ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ | – –. magna pars versuum pedibus non solutis incedit (sunt enim novem), seni unam, terni binas solutiones exhibent. in tribus versibus pes uno verbo formatur: n. 48, 2 *aetatula*, n. 55, 2 *vehementiu'*, n. 49 *Ismenias*. verborum et metri pedes diligenter disiunguntur. maximus est metri et verborum ictuum consensus in arsibus principalibus in prima, minor in altera, minimus in tertia sede (cf. hos numeros 15, 11, 7). brevium, quibus arsis formatur, prior in dimidia fere parte versuum, quae tales solutiones continent, simul verbi accentum habet, non habet in ceteris versibus huius generis. verbo monosyllabo versum terminavit

Varro semel n. 54, 1, tetrasyllabum exitum habes in IIII versibus. verbo bisyllabo eos versus potissimum terminare solet Varro, qui in pede tertio ionicum, trisyllabo eos, qui hoc loco ditrochaeum habent (– – ⏑ ⏑ | – –, – ⏑ – | ⏑ – –). nam inter XI versus, qui in verbum trisyllabum exeunt, X ditrochaeum habent tertio loco. inter VIIII versus, in quibus clausula est verbum bisyllabum, VI ionicum hoc loco habent, III tantum ditrochaeos. qua re id egisse Varronem veri simillimum est, ne languidiorem redderet versum trochaeo vel spondeo trochaeis antecedentibus adiuncto (– ⏑ – ⏑ | – ⏑̄). hoc enim vitium evitatur, si in talibus versibus clausulam efficit verbum trisyllabum (– ⏑ – | ⏑ – ⏑) vel si verbo bisyllabo antecedunt duae breves ionici (– – ⏑ ⏑ | – –). contra verba molossica in fine admittere non dubitavit, quod praeter eum in Accii tantum reliquiis animadvertimus.

Ex caesuris legitimis maxime usurpatur ea, qua pes alter in parte media secatur: – – ⏑ ⏑ – – ‖ ⏑ ⏑ – – – ⏑ ⏑ – –, quod fit VIIII locis[1]). in VI versibus binae caesurae extant post priorem longam secundi et tertii pedis: – – ⏑ ⏑ – | – ⏑ ⏑ – | – ⏑ ⏑ – –. in IIII caesura legitima deest; nam una incisione post priorem metri secundi longam facta versus in inaequales partes dividitur: – – ⏑ ⏑ – ‖ – ⏑ ⏑ – – – ⏑ ⏑ – – n. 52, 1 et 2; 44, 1. in fine pedis secundi caesura cernitur in duobus versibus n. 56, 1 et 2. n. 53, 1 caesura est post alteram ditrochaei arsim – – – | ⏑ in sede secunda. Varro igitur non eandem rationem quam Graeci secutus est, qui in pede altero ultimo, si ditrochaeus hoc loco extabat, diaeresin admittere solebant. neque molossum semper caesura eo modo divisit Varro, quo Graeci (– – | –): nam semel post hunc pedem incisionem adhibuit n. 57 (– – – ⏑ | – – | – – ⏑ ⏑ – –). commodissima autem ei visa est incisio a Graecis adhibita in medio pede secundo. quod cur statuerit intelleges, si reputaveris ad Varronem certe referendam esse illam derivationem sotadei ab hexametro heroo, ergo a metro principali, quam Victorinus 128, 12 sqq. commemoravit. nam si exemplum ab hoc propositum inspicis: *qui primus ab oris ‖ ego ‖ qui primus ab oris*, alteram hexametri habes partem duplicatam inserto pyrrhichio. unde incisionis ratio post duas longas ionici in sede altera perspicitur. ac memorabile est hanc caesuram in Terentiani Mauri quoque sotadeis creberrimam esse.

Varronem excipiat Petronius, cuius in versibus XIII tria tantum schemata extant: – – ⏑ ⏑ | – – ⏑ ⏑ | – ⏑ – ⏑ | – – (novies), – – ⏑ ⏑ | – – ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ | – – (ter), – – ⏑ ⏑ | – ⏑ – ⏑ , – – ⏑ ⏑ | – – (semel). quod ad pedum usum adtinet, inspicias quaeso hanc tabulam:

---

[1]) Semel inciditur ditrochaeus ita: – ⏑ | – ⏑.

pedum formae	pes I	pes II	pes III
– – ⏑ ⏑	10	12	—
⏑ ⏑ – ⏑ ⏑	2	—	—
– ⏑ ⏑ ⏑ ⏑	—	—	4
⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑	1		—
– ⏑ – ⏑	—	1	9

vides angustiorem esse in singulis pedibus formarum usum quam in aliorum sotadeis. absunt ditrochaeus solutus et molossus et omnes formae irrationales. simillimi igitur hi versus sunt sotadeis Lucianeis. utrique enim frequentibus solutionibus excellunt, sed Luciani sotadei maiorem numeri motum habent quam Petronii, in quibus ionicus integer multo crebrior est quam apud Lucianum. septem versus omnes pedes puros habent, quinque unum pedem solutum, unus duas solutiones. in hac forma – ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ionici tantum latent –́ ⏑́⏑ ⏑ ⏑. severius Petronius breves, quibus arsis formatur, tractavit, quas ita disposuit, ut ab eis semper verbum incipiat. qua in re ne versus quidem n. 58a, 3 et 58b, 4 excipi possunt, ubi *femoreque facili*, *conficere* excusari possunt, cum prius verbum arte cohaereat cum sequente *facili* alterum compositum sit atque ita brevibus arsis secundariae re vera verbi ipsius initium contineatur. n. 58a, 1 et 2; 58b, 6 pes totus impletur uno vocabulo: *convenite, confugerat.* metrici et verborum ictus consentiunt inprimis in arsibus principalibus, quae ex binis brevibus constant, sed hoc etiam ad arses secundarias pertinet. duo tantum repugnare videntur loci: *spatalocinaedi, femoreque facili* n. 58a, 1 et 3, ubi discrepant accentus, sed in verbi alterius syllaba prima accentus est et prius in arsi secundaria positum est, ubi in ictuum discrepantia non ita offendimus. in arsibus principalibus non solutis binorum ictuum concentus novies extat in sede prima, in altera contra bis, in tertia ter tantummodo. in hac igitur re pes primus magnopere dissentit a ceteris pedibus; similiter res se habet apud Lucianum, apud quem de pedibus hae valent rationes: 4, 1, 1. semel hexasyllabum itemque semel tetrasyllabum verbum in versus clausula legitur, quater versus trisyllabo terminantur. caesuram duplicem in aliorum quoque sotadeis saepe adhibitam Petronius ceteris praetulit; in VII enim versibus ea invenitur. alteri caesurae antecedere solet vocabulum choriambicum in VI versibus, deinde in IIII versibus caesura est in medio pede altero. n. 58a, 1 incisionem habet in fine secundi pedis praegrediente ditrochaeo, qui solus in his versibus hoc loco extat. n. 58a, 2 caesura neglecta est, nisi forte post metri secundi priorem longam incisionem factam esse putamus.

De Martialis sotadeis perpauca quae dicam habeo. distichon illud cuius hi sunt numeri

– – ⏑ ⏑ – ‖ – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ – –, – – ⏑ ⏑ – ‖ – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ – –,

diaeresim quidem habet in fine pedis secundi, non autem legitimam caesuram, sed incisio est post priorem metri secundi longam.

Grammaticorum sotadeos vix operae pretium est accuratius perlustrare, cum plerumque ex versibus immutatis facti aut plane adeo conficti sint et tamquam exemplaria compositi ad regulas illustrandas neque poetae ingenio debeantur. crebrior in eis est ionici usus in priore parte versus, ditrochaei in altera. pedum singulorum formas ex hac tabula cognosces.

pedum formae	pes I	pes II	pes III
– – ⏑ ⏑	10	12	6
⏑ ⏑ – ⏑ ⏑	2	—	—
– ⏑ – ⏑	2	1	8
– ⏑ – –	—	1	—

formae – ⏑ ⏑ ⏑ ⏑, ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ nulla alia de causa in his versibus adparent, nisi ut demonstretur eas in usu fuisse. caesurarum usitatissima est ea, quae Varroni maxime placuit, in medio pede secundo ionico praecedente. in duobus versibus, in quibus ditrochaeus locum secundum obtinet, ea in pede ultimo est, duplex caesura in tribus, incisio post priorem secundi pedis longam sola in quattuor versibus.

Denique in quaestionem vocemus Terentiani Mauri sotadeos CCCLXXVII, qui speciem prae se ferunt summae diligentiae constantiaeque. ac plurimi versus (CCLXXII) huius schematis usitatissimi sunt: – – ⏑ ⏑ | – – ⏑ ⏑ | – ⏑ – ⏑ | – –, CI huius: – – ⏑ ⏑ | – – ⏑ ⏑ | – – ⏑ ⏑ | – – abstinuit grammaticus trochaico tetrametro: – ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ | – – et his schematis – – ⏑ ⏑ | – ⏑ – ⏑ | – – ⏑ ⏑ | – – et – ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ | – – ⏑ ⏑ | – – minus usurpatis. singulorum pedum formas eodem modo disposuit in versuum sedibus ac ceteri poetae, quorum rationes strenue secutus est. id quod ex indice intellegi potest, quem hic subicimus.

pedum formae	pes I	pes II	pes III
– – ⏑ ⏑	326	364	90
⏑ ⏑ – ⏑ ⏑	45	3	5
⏑ ⏑ ⏑ ⏑	1	7	3
– – –	—	1	—

pedum formae	pes I	pes II	pes III
– ⏑ – ⏑	4	2	273
– ⏑ – –	—	—	4
– – – ⏑	1	—	1
⏑ ⏑ ⏑ – ⏑	—	—	1

De his versibus Butzer accuratius quidem egit quam de ceteris sotadeis, sed tamen complura eum fugerunt. sic primum notandum est eum prorsus tacere de molosso, qui semel occurrit n. 60, 111. ionicus solutus (⏑ ⏑ – ⏑ ⏑) in sede prima quadragies quinquies, non quadragies quater legitur. alterius formae – ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ sex exemplis in sede secunda adici velim septimum n. 60, 44, ubi pro *fas*, quod a Lachmanno profectum est, *satis* legere malo. pedum rarius adhibitorum formas, velut ionici ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ in sede secunda numeravi: n. 61, 48. 65. 98. in tertio pede: n. 61, 5. 13. 72. 101 et n. 62, 51. alterius ionici formae solutae in qua nulla nisi ionica mensura tolerari potest, extant in sede prima n. 61, 80, ubi haec forma illustratur nomine *Caecilius*, in secunda n. 60, 44. 172 et n. 61, 3. 6. 37. 91 et n. 62, 30, in tertia n. 60, 95 et n. 61, 86. 104. ditrochaeus positus est in prima sede in versibus n. 60, 96 et n. 61, 69. 82. 98. in secunda n. 62, 34 et 35. solutus est ditrochaeus in tertia tantum sede n. 61, 89, in hoc versu propter Graecum vocabulum *Πελοπίδαι*. ditrochaeum septem morarum apud Terentianum extare Butzer immerito negavit; neglexit enim hanc formam – ⏑ – – in pede tertio n. 60, 134. 146. 161 et n. 61, 59. concedo quidem locum n. 60, 134 *Hister hospes huius* non magnam vim habere, sed confirmatur usus huius formae sine dubio ceteris versibus n. 60, 146 *supera premendo*, n. 60, 161 *est iugando*. omisit porro Butzer alteram irrationalem formam – – – ⏑ in initio versus n. 61, 43 *longas siquidem*. in versibus LVII una solutio est, in IIII binae (n. 61, 13. 65. 86. 91). dipodia trochaica ex uno vocabulo formata est in versibus XIIII n. 60. 13. 16. 110. 112. 117. 139. 142. 190. 193. 194 et n. 61, 23. 40. 70 et 62, 13. pedem ionicum habes in versibus XXXI n. 60, 2. 5. 8. 10. 14. 28. 39. 40. 41. 42. 52. 54. 60. 75 et n. 62, 16. (in hoc versu bis) 42. 70 et n. 60, 101. 106. 114. 116. 133. 144. 174. 187. 193 et n. 61, 17. 42. 48. 52. ionicum solutum in V (⏑ ⏑ – ⏑ ⏑): n. 61, 20 et 61 *anapaestica*, n. 61, 64 *catalectica*, n. 62, 57 et 70 *apelassonos*; cf. n. 61, 4 et 111 *προκελευσματικός*. breviorum verborum creberrima dispositio est haec: ⏑ – ⏑ vel – ⏑ ⏑, tetrasyllaborum haec ⏑ ⏑ – – vel – ⏑ ⏑ –. versus partim terminantur verbis bisyllabis, (in versibus CLII antecedente in tertia sede versuum LV ionico) partim trisyllabis (in versibus CXXXVIIII antecedente ionico tantum

in versibus XVI), partim monosyllabis (in versibus XVIII); in clausulis versuum LI extat verbum polysyllabum. Terentianus ergo praetulit talem exitum trisyllabum – ⏑ – | ⏑ – ⏒ huic – – ⏑ | ⏑ – ⏒.

Butzer frustra operam consumpsit in quaestione de verborum et pedum ictuum consensu expedienda, unde colligere studuit alteram ionici arsim esse principalem –́ –̋ ⏑ ⏑. accedit quod in ea re versuum tantum n. 60, 1—100 rationem habuit. nisus est enim potissimum eo, quod in arsibus alteris crebrior esset duorum ictuum consensus quam in prioribus, tum quod inprimis in ionicis solutis (⏑ ⏑ – ⏑ ⏑) arsis altera semper fere ictum haberet, velut *minimumque renidet.* quam opinionem cum iam saepius ut vanam reiecerimus, hoc loco breviter dicemus singularem huius metri naturam, in quo binae longae concurrunt, ipsam ferre, ut maior verborum accentus cum ictibus metricis sit consensus, praesertim cum in sermone Latino aliae sint leges et rationes accentus verborum quam in Graeco. quamobrem mirum non est utrosque ictus in arsibus secundariis magis consentire quam in principalibus. nullo igitur pacto iuvamur ea re in quaestione utri longae ictus principalis tribuendus sit. in ionicis solutis (⏑́⏑ –́ ⏑ ⏑) prima brevis accentum verbi habet in versibus XXXII, non habet in versibus XX n. 60, 1. 22. 36 et n. 61, 4. 10. 11. 13. 20. 38. 40. 61. 64. 65. 72. 86. 111. et n. 62, 45. 57. 70. atque in arsibus etiam secundariis solutis ictuum concentus modo observatus, modo neglectus est. in longis arsibus principalibus haec inter tres pedes quod ad ictuum consensum pertinet intercedit ratio: 237 : 181 : 206, in secundariis haec: 294 : 228 : 221.

Restat ut de diaeresibus et caesuris exponamus. diaeresis igitur reperitur concurrentibus compluribus brevibus, quae ad diversos pedes pertinent; cf. n. 61, 5. 13. 48. 65. 72. 89. 101 et 62, 51. diaeresin, quae in versibus CCXVIIII in fine pedis secundi adpareat, Butzer legitimam caesuram esse contendit. recte Christ eam caesuram esse negavit, sed agnovit caesuram eis locis, quibus antecedat ditrochaeus (– – ⏑ ⏑ | – ⏑ – ⏑ | ⏓ ⏒ ⏓ ⏓ | – –). sed duo tantum versus extant apud Terentianum, qui ditrochaeum habent in sede altera n. 62, 34 et 35. terminatur autem verbum in pede altero ultimo in solo versu n. 62, 35. sed aliae caesurae in Terentiani versibus agnoscendae sunt, primum ea, quam Varro saepissime adhibuit (in medio pede secundo (– – ⏑ ⏑ – – | ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ – –) — hanc enim reperimus in versibus CLXXXXVI — deinde duplex illa, quae in versu sotadeo, quae est eius longitudo facile explicatur, una in secundo, altera in pede tertio post priorem longam (in versibus CXIII). videtur ergo in hac re Terentianus Varronis rationes secutus esse. accedit incisio in versibus LVIIII post priorem pedis secundi longam, cui respondet diaeresis in omnibus eiusmodi versibus in fine huius pedis: – – ⏑ ⏑ – ‖ – ⏑ ⏑ | – – ⏑ ⏑ – –. in VIIII

denique versibus caesura legitima prorsus neglecta est n. 60, 8. 174 et n. 61, 28. 37. 48. 65. 71 et n. 62, 43. 70.

Iam vero poetarum sotadeis pertractatis eorumque proprietatibus separatim consideratis restat, ut breviter colligamus atque complectamur ea quae ex his quaestionibus ad iudicium in universum de versu sotadeo faciendum redundant.

Octo sotadei schemata, ex quibus Westphal immerito exclusit hoc: – ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ | – – ⏑ ⏑ | – –, omnia in usu erant apud poetas, sed potissimum haec duo – – ⏑ ⏑ | – – ⏑ ⏑ | – ⏑ – ⏑ | – –, – – ⏑ ⏑ | – – ⏑ ⏑ | – – ⏑ ⏑ | – – frequentabantur atque alterum saepius adeo apud Latinos quam apud Graecos. tetrametrum trochaicum, quem in Sotadis ipsius et in eis, quos Stobaeus servavit, versibus reperimus, Accium quoque adhibuisse intelleximus, ex ceteris neminem.

Summa pedum varietate excellere versum sotadeum unusquisque sentiet, qui has reliquias nobiscum perlustraverit. usitatae enim erant hae formae ionici: – – ⏑ ⏑, ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑, ″ ⏑́⏑ ⏑ ⏑, ⏑́⏑ ⏑́⏑ ⏑ ⏑, – – –, ⏑ ⏑ – –, ditrochaei hae: – ⏑ – ⏑, ⏑́⏑ ⏑ ′ ⏑, (″ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑), ⏑́⏑ ⏑ ⏑́⏑ ⏑, ionici irrationalis hae: – – ⏑ –, ″ ⏑́⏑ ⏑ –, ditrochaei irrationalis hae: – ⏑ – –. ⏑́⏑ ⏑ –́ –, ″ – –́ ⏑, ⏑́⏑ – –́ ⏑, ″ ⏑́⏑ ⏑, ″ ⏑ ⏑́⏑ –. nullum ergo vestigium est huius formae – ⏑ ⏑ – ⏑, quam Riese sotadeis vindicavit, neque alterius – ⏑ ⏑ –, quam Westphal sotadeis Latinis tribuere voluit (de re metr. p. 360). quod ad usum horum pedum adtinet, bene discernendi sunt inter singulos poetas ii qui sotadeos severius composuerunt, et ii qui minore cum elegantia hoc metro usi sunt. atque elegantissimos et purissimos sotadeos confecerunt Lucianus Ennius Petronius Martialis, tum secuntur Sotades ipse Moschio Varro grammatici Terentianus, minime denique elegantiae laude digni sunt versus a Stobaeo traditi et Accii sotadei.

De usu singulorum pedum haec breviter dicenda sunt. ionicus (– – ⏑ ⏑) saepissime legitur in sede altera ibique plerumque purus, saepe quoque in prima, sed magis solutionibus obnoxius, rarior est in tertia. ditrochaeus (– ⏑ – ⏑) maxime in altera versus parte usurpatur, rarius in duobus pedibus prioribus. Lucianus eum in sede prima non adhibuit. solutionum creberrima est haec – ⏑ ⏑ ⏑ ⏑, quae partim ionicam, partim ditrochaicam mensuram admittit, sed inde a Varrone semper ionicum continet. soli grammatici et Terentianus saepius utuntur hac solutione ionici ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑. illa forma Graeci maxime primo et tertio loco usi sunt, Latini magis in sede tertia et altera. ceterum singuli poetae in hac re diversas rationes secuti sunt. forma ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ conspicitur fere semper in pede primo solo, raro in tertio; vel maxime ea vitabatur in secundo. rariores sunt hae solutiones: ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ (rarissime ea adhibita est apud Latinos et Varro ea plane abstinuit; a pede secundo plane exclusa

est) et ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ (quae in prima tantum sede a Luciano et Petronio usurpata est). rarior quoque est harum formarum usus: – – – (admittitur haec in sola sede secunda, deest in Sotadis ipsius versibus, Luciani, Moschionis, Petronii. apud Accium conspicitur in sede prima semel, sed mihi is versus corruptus esse videtur), ⏑ ⏑ – – (haec forma non, ut Westphal vult, in sede secunda invenitur, sed in prima ter in sotadeis a Stobaeo traditis. pedes irrationales quidem non excluduntur, sed angustior est eorum usus. Lucianus et Petronius soli eos non receperunt), – – ⏑ – (huius formae exiguus est usus; in sotadeis a Stobaeo adlatis in sede secunda novies reperitur. maxime vitabatur in versu ultimo, ne numeri progressus nimis retardaretur. Terentianus eam non admisit), – ⏑ – – (haec forma raro in sede tertia occurrit. usus est ea inprimis Accius. in prima sede contra probata non esse videtur), – – – ⏑ (inter formas irrationales haec crebriorem usum habet. magis ea erat accepta in sede prima et secunda, contempta in tertia. displicuerunt certe tres syllabae longae post pedem secundum, qui item plerumque solutus non est. itaque haec forma versum impeditiorem fecisset).

Prorsus rarae sunt hae formae: – ⏑ ⏑ ⏑ – (in Accii reliquiis solis extat semel in sede secunda pro ditrochaeo, itemque semel in tertia pro ionico), ⏑ ⏑ ⏑ – – (invenitur in fragmentis florilegii Stobaeani, in Moschionis carmine semel in pede primo denique apud Accium. de usu eius valet quod diximus de hac ditrochaei forma ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑). in sede prima unius versus a Stobaeo traditi obviam nobis fit haec forma: ⏑⏑̋ ⏑ – –́ ⏑ atque eodem loco trium Accii versuum haec: –̋ ⏑́⏑ ⏑ ⏑.

Primus ergo pes potissimum habet ionicum et pedes solutos. purior is locus servatus est quam ceteri atque maxime pes secundus, ubi ionici frequentissimi sunt iique non soluti. propterea molossus etiam hoc loco acceptus erat. in sede tertia contra superat ceteros ditrochaeus. hae rationes in omnibus versibus etiam minus diligenter compositis observari possunt.

In metro sotadeo ut omnino in ionico verborum accentus cum metri ictu principali saepius consentit. animadverti autem potest eum binorum ictuum consensum creberrimum esse in pede primo, rarissimum in altero. in arsibus solutis is concentus semper fere adhibitus est a poetis. adde quod maiore cum diligentia arses principales quam secundarias tractaverunt, cum hoc modo inter tres pedes, quod ad crebritatem eius consensus adtinet, certa quaedam ratio constitui posset, quae res non licebat in arsibus secundariis. denique ipse vidisti in versibus egregie elaboratis verba gravissima principali syzygiarum ictu contineri.

Ut postremo loco caesuram tangamus, dicam Butzerum, qui caesurae in fine metri secundi adhibitae patrocinium suscepit, eo optime refutari, quod illa diaeresis hoc loco saepissime neglecta est. neque vero

hanc ob causam tantum reicienda est eius opinio, sed etiam propterea, quod pedem, qui in duas breves exiret (– – ⏑ ⏑|– – ⏑ ⏑), in fine dimetri prioris valde displicuisse constat. in pede ergo altero ultimo plerumque admissa est caesura, si hoc loco ditrochaeus extat, sed magis apud Graecos quam apud Latinos. creberrima autem est caesura in medio pede secundo, inprimis, si ionicus, id quod semper fere fieri solet, hanc sedem implet. molossus semper hac incisione divisus est – –‖–, tribus tantum versibus exceptis n. 17, 6 et 42, 3 et n. 57. deinde maxime accepta erat duplex caesura: – – ⏑ ⏑ –‖– ⏑ ⏑ –‖– ⏑ ⏑ – –, quae naturae versus sotadei utpote longioris quam maxime respondet et satisfacit. apud Latinos saepe invenitur una sola caesura post priorem pedis alterius longam. nec desunt versus, qui omni legitima caesura careant. in incisionibus statuendis poetae ipsam sententiam respexerunt, ita ut membra caesura distracta in pronuntiando quoque quasi distinguenda essent.

Quodsi denique quaeras quantum usus metri sotadei apud Graecos ad compositionem Latinorum valuerit, in universum statuendum est rationes gravissimas a Graecis observatas a Romanis acceptas esse atque in versibus ab eis conditis agnosci posse. Sotadis ipsius versus egregie imitatus est apud Romanus Varro, cuius exemplum potissimum secutus est Terentianus, id quod clare elucet e caesurarum quibus usus est rationibus. recedunt ab his sotadei elegantissimi Luciani Moschionis Ennii Petronii Martialis, qui severioris artis legibus in versibus componendis usi sunt. inprimis similitudo sat magna intercedit inter Luciani et Petronii versus. sed incredibiles paene licentias admisit Accius, cui sotadeos haud elegantes a Stobaeo nobis servatos ante oculos versatos esse veri simillimum est.

Addenda et corrigenda.

p. 142: n. 13, 3 l. *ἑστίης* pro *ἑστίας*.
p. 144: n. 18, 9 l. *νόσον* pro *νόσον*.
p. 155: v. 88 l. *subiungit* pro *snbiungit*.
p. 174: in tab. VI. pedis formam sic legas: ⏑ ⏑ ⏑́⏑ –
p. 176: a fine v. 2 l. qui pro quae.